BR
65
L2
1783
v.2
c.1
ROBA

OPERA OMNIA

# SANCTORUM PATRUM

LATINORUM.

*VOLUMEN VII.*

CÆCILII FIRMIANI
CTANTII

# OPERA OMNIA.

AD
EDITIONEM PARISIENSEM
JOANNIS BAPT. LE BRUNI
ET
NICOLAI LENGLET DU FRESNOI
ANNI 1748
RECUSA.

*TOMUS II.*

WIRCEBURGI,
In Officina Libraria STAHELIANA.

MDCCLXXXIV.

24743
16/9/92

# LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII EPITOME INSTITUTIONUM DIVINARUM AD PENTADIUM FRATREM.

## PRÆFATIO.

*Totius Epitomes ac Inſtitutionum conſilium & ratio.*

Quanquam Divinarum Inſtitutionum libri, quos jampridem ad illuſtrandam veritatem religionemque conſcripſimus, ita legentium mentes inſtruant, ita informent, ut nec prolixitas pariat faſtidium, nec oneret ubertas: tamen horum tibi Epitomen fieri, PENTADI frater, deſideras; credo, ut ad te aliquid ſcribam, tuumque nomen in noſtro qualicumque opere celebretur. Faciam quod poſtulas; etſi difficile videtur ea, quæ ſeptem maximis voluminibus explicata ſunt, in unum conferre. Fit enim totum & minus plenum, cum tanta rerum multitudo in anguſtum coarctanda ſit, & brevitate ipſa minus clarum, maxime cum & argumenta plurima & exempla, in quibus lumen eſt probationum, neceſſe ſit præteriri; quoniam tanta eorum copia eſt, ut vel ſola librum conficere poſſint. Quibus ſublatis, quid poteſt utile, quid apertum videri? Sed

enitar, quantum res ſinit, & diffuſa ſubſtringere, & prolixa breviare, ſic tamen, ut neque res ad copiam, neque claritas ad intelligentiam deeſſe videatur in hoc opere, quo in lucem veritas protrahenda eſt.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Divina Providentia.*

Prima incidit quæſtio, Sitne aliqua providentia, quæ aut fecerit; aut regat mundum? Eſſe, nemini dubium eſt; ſiquidem omnium fere Philoſophorum, præter ſcholam Epicuri, una vox, una ſententia eſt, nec fieri ſine artifice Deo potuiſſe mundum, nec ſine rectore conſtare. Itaque non ſolum a doctiſſimis viris, ſed & omnium mortalium teſtimoniis ac ſenſibus coarguitur Epicurus. Quis enim de providentia dubitet, cum videat cœlos terramque ſic diſpoſita, ſic temperata eſſe univerſa, ut non modo ad pulcritudinem ornatumque mirabilem, ſed ad uſum quoque hominum, cæterorumque viventium commoditatem aptiſſime convenirent? Non poteſt igitur, quod ratione conſtat, ſine ratione cœpiſſe, quoniam certum eſt eſſe providentiam.

## CAPUT II.

### *Quod Deus ſit unus, nec poſſint eſſe plures.*

Sequitur alia quæſtio, Utrumne Deus unus, an plures? quæ quidem multum habet ambiguitatis. Diſſentiunt enim non modo ſinguli inter ſe, verum etiam populi atque gentes. Sed qui rationem ſequetur, intelliget nec Dominum eſſe poſſe niſi unum,

nec

nec Patrem niſi unum. Nam ſi Deus, qui omnia condidit, & idem Dominus, & idem pater eſt, unus ſit neceſſe eſt, ut idem ſit caput idemque fons rerum. Nec poteſt aliter rerum ſumma conſiſtere, niſi ad unum cuncta referantur, niſi unus teneat gubernaculum, niſi unus frena moderetur, regatque univerſa membra, tanquam mens una. Si multi ſint in examine apum reges, peribunt aut diſſipabuntur, dum

*Regibus inceſſit magno diſcordia motu:*

ſi plures in armento duces, tamdiu præliabuntur, donec unus obtineat: ſi multi in exercitu Imperatores, nec pareri poterit a milite, cum diverſa jubeantur, nec ab iis ipſis unitas obtineri, cum ſibi quisque pro moribus conſulat. Sic in hac mundi Republica niſi unus fuiſſet moderator, qui & conditor, aut ſoluta fuiſſet omnis hæc moles, aut nec condi quidem omnino potuiſſet.

Præterea in multis non poteſt eſſe totum, cum ſinguli ſua officia, ſuas obtineant poteſtates. Nullus igitur eorum poterit omnipotens nuncupari, quod eſt verum cognomentum Dei: quoniam id ſolum poterit, quod in ipſo eſt; quod autem in aliis, nec audebit attingere. Non Vulcanus ſibi aquam vindicabit, aut Neptunus ignem; non Ceres artium peritiam, nec Minerva frugum; non arma Mercurius, nec Mars lyram; non Jupiter medicinam, nec Aſclepius fulmen: facilius illud ab alio jactum ſuſcipiet, quam ipſe torquebit. Si ergo ſinguli non poſſunt omnia, minus habent virium, minus poteſtatis: is autem Deus putandus eſt, qui poteſt totum, non qui de toto minimum.

## CAPUT III.

*De Deo uno teſtimonia Poetarum.*

Unus igitur Deus eſt, perfectus, æternus, incorruptibilis, impaſſibilis, nulli rei poteſtative ſubjectus, ipſe omnia poſſidens, omnia regens, quem nec æſtimare ſenſu valeat humana mens, nec eloqui lingua mortalis. Sublimior enim ac major eſt, quam ut poſſit aut cogitatione hominis, aut ſermone comprehendi. Denique, ut taceam de Prophetis unius Dei prædicatoribus, Poetæ quoque, & Philoſophi, & Vates teſtimonium ſingulari Deo perhibent. Orpheus principalem Deum dicit, qui cœlum ſolemque cum cæteris aſtris, qui terram, qui maria condiderit. Item noſter Maro ſummum Deum modo ſpiritum, modo mentem nuncupat, eamque velut membris infuſam totius mundi corpus agitare; item Deum per profunda cœli, per tractus maris terrarumque diſcurere, atque ab eo univerſas animantes trahere vitam. Ne Ovidius quidem ignoravit a Deo inſtructum eſſe mundum, quem interdum opificem rerum, interdum mundi fabricatorem vocat.

## CAPUT IV.

*Quod Deus ſit unus, teſtimonia Philoſophorum.*

Sed veniamus ad Philoſophos, quorum certior habetur autoritas, quam Poetarum. Plato Monarchiam adſerit, unum Deum dicens, a quo ſit mundus inſtructus & mirabili ratione perfectus. Ariſtoteles auditor ejus unam eſſe mentem, quæ mundo præſideat, confitetur. Antiſthenes unum eſſe dicit naturalem Deum, totius ſummæ gubernatorem. Lon-

gum

gum eſt recenſere, quæ de ſummo Deo, vel Thales, vel Pythagoras & Anaximenes antea, vel poſtmodum Stoici, Cleantes & Chryſippus & Zenon, vel noſtrorum Seneca Stoicos ſecutus, & ipſe Tullius prædicarint, cum hi omnes, & quid ſit Deus, definire tentaverint, & ab eo ſolo regi mundum affirmaverint, nec ulli ſubjectum eſſe naturæ, cum ab ipſo ſit omnis natura generata.

Hermes, qui ob virtutem multarumque artium ſcientiam Triſmegiſtus meruit nominari, qui & doctrinæ vetuſtate Philoſophos anteceſſit, quique apud Ægyptios ut Deus colitur, majeſtatem Dei ſingularis infinitis adſerens laudibus, Dominum & Patrem nuncupat; eumque eſſe ſine nomine, quod proprio vocabulo non indigeat, quia ſolus ſit; nec habere ullos parentes, quia ex ſe & per ſe ipſe ſit. Hujus ad filium ſcribentis exordium tale eſt: Deum quidem intelligere difficile eſt, eloqui vero impoſſibile, etiam cui intelligere poſſibile eſt; perfectum enim ab imperfecto, inviſibile a viſibili non poteſt comprehendi.

---

## CAPUT V.

*Quod unum Deum vates, id eſt Sibyllæ prædicant.*

Supereſt de vatibus dicere. Varro decem Sibyllas fuiſſe tradit, primam de Perſis, ſecundam Libyſſam, tertiam Delphida, quartam Cimmeriam, quintam Erythræam, ſextam Samiam, ſeptimam Cumanam, octavam Helleſpontiam, nonam Phrygiam, decimam Tiburtem, cui ſit nomen Albunea. Ex his omnibus Cumææ ſolius tres eſſe libros, qui Romanorum fata contineant, & habeantur arcani, cæterarum autem fere omnium ſingulos extare haberique

vulgo, ſed eos Sibyllinos velut uno nomine inſcribi; niſi quod Erythræa, quæ Troici belli temporibus fuiſſe perhibetur, nomen ſuum verum poſuit in libro, aliarum confuſi ſunt.

Hæ omnes, de quibus dixi, Sibyllæ præter Cumæam, quam legi niſi a Quindecimviris non licet, unum Deum eſſe teſtantur, principem, conditorem, parentem, non ab ullo generatum, ſed a ſeipſo ſatum, quin & fuerit a ſeculis, & ſit futurus in ſecula, & idcirco ſolus coli debeat, ſolus timeri, ſolus a cunctis viventibus honorari. Quarum teſtimonia, quia breviare non poteram, prætermiſi, quæ ſi deſideras, ad ipſos tibi libros revertendum eſt. Nunc reliqua perſequamur.

---

## CAPUT VI.

*Deus cum ſit æternus & immortalis, ſexu & ſucceſſione non eget.*

Hæc igitur tot ac tanta teſtimonia liquido perdocent, unum eſſe regimen in mundo, unam poteſtatem, cujus nec origo excogitari, nec vis enarrari poteſt. Stulti ergo, qui de concubitu natos putant Deos eſſe, cum ipſe ſexus & corporum copulatio idcirco mortalibus a Deo, data ſint, ut per ſobolis ſucceſſionem genus omne ſervetur. Immortalibus vero quid opus eſt aut ſexu aut ſucceſſione, quos nec voluptas nec interitus attingit? Illi ergo, qui Dii putantur, quoniam & genitos eſſe tanquam homines, & procreaſſe conſtat, mortales utique fuerunt: ſed Dii crediti ſunt, quod, cum eſſent Reges magni ac potentes, ob ea beneficia, quæ in homines contulerant, divinos poſt obitum honores conſequi meruerunt, poſitisque templis atque ſimulacris,

ſacris, memoria eorum tanquam immortalium retenta eſt atque celebrata.

---

## CAPUT VII.

*De Herculis vita facinoroſa & morte.*

Sed cum ſit omnibus fere gentibus perſuaſum Deos eſſe, res tamen eorum geſtæ, quas tam Poetæ quam Hiſtorici tradiderunt, homines fuiſſe declarant. Hercules, per quæ tempora fuerit, quis ignorat, cum idem & inter Argonautas navigaverit, & expugnata Troja, Laomedontem Priami Patrem ob perjurium interfecerit? Ab eo tempore paulo amplius quam mille & quingenti computantur anni. Hic ne natus quidem honeſte traditur, ſed Alcmenæ adulterio genitus, & ipſe vitiis genitoris addictus. Nec fœminis unquam, nec maribus abſtinuit, orbemque totum non tam gloriæ, quam libidinis cauſa, nec tantum ad necandas belluas, quantum ad ſerendos liberos peragravit. Cumque eſſet invictus, ab una tamen Omphale triumphatus eſt, cui clava & ſpolio leonis tradito, indutus ipſe fœminea veſte, atque ad pedes mulieris abjectus, penſa, quæ faceret, accepit. Idem poſtea inſtinctu furoris elatus, parvos liberos & uxorem Megaram trucidavit. Poſtremo ſumta Dejanyræ conjugis veſte, cum diffluceret ulceribus, doloris impatiens, rogum ſibi in Oetæo monte conſtruxit, eoque ſe vivum cremavit. Sic efficitur, ut etiamſi ob virtutem Deus credi potuit; ob hæc tamen homo fuiſſe credatur.

## CAPUT VIII.

*De Æſculapio, Apolline, Marte, Caſtore & Polluce, atque de Mercurio & Baccho.*

Æſculapium Tarquitius tradit ex incertis parentibus natum, & ob id expoſitum, atque a venatoribus collectum, caninis uberibus educatum, Chironi in diſciplinam datum. Hic Epidauri moratus eſt, Cynoſuris, ut Cicero ait, ſepultus, cum eſſet ictu fulminis interemtus. Apollo autem pater ejus non dedignatus eſt alienum gregem paſcere, ut acciperet uxorem; & dilectum puerum cum peremiſſet imprudens, gemitus ſuos inſcripſit in flore. Marti, viro fortiſſimo, adulterii crimen non defuit; ſiquidem catenis cum adultera vinctus ſpectaculo fuit.

Caſtor & Pollux alienas ſponſas non impune rapuerunt, quos Homerus non poetica, ſed ſimplici fide mortuos ſepultosque teſtatur. Mercurius, qui de ſtupro Veneris genuit Androgynum, Deus eſſe meruit, quia lyram reperit & palæſtram. Liber Pater, debellata India victor, cum Cretam forte veniſſet, Ariadnem conſpexit in littore, quam Theſeus & violaverat, & reliquerat. Tum amore inflammatu, eam ſibi in conjugium ſociavit, & coronam ejus, ut Poetæ ferunt, inter aſtra ſignavit. Mater ipſa poſt fugam & obitum viri cum in Phrygia moraretur, vidua & anus formoſum adoleſcentem in deliciis habuit; & quia fidem non præſtiterat, ademtis genitalibus, effœminavit. Ideo etiam nunc Gallis ſacerdotibus gaudet.

CAPUT

## CAPUT IX.

*De Deorum turpitudinibus.*

Ceres unde Proſerpinam, niſi de ſtupro genuit? unde Latona geminos, niſi ex crimine? Venus Deorum & hominum libidinibus expoſita, cum regnaret in Cypro, artem meretriciam reperit, ac mulieribus imperavit, ut quæſtum facerent, ne ſola eſſet infamis. Ipſæ illæ virgines Minerva & Diana, num caſtæ? Unde igitur proſilivit Erichthonius? Num in terram Vulcanus ſemen effudit, & inde homo tanquam fungus enatus eſt? Aut illa cur Hippolytum, vel ad ſecretas ſedes, vel ad mulierem relegavit, ubi ſolus inter ignota nemora ætatem ageret, & jam mutato nomine, Virbius vocaretur? Quid hæc ſignificant, niſi inceſtum, quod Poetæ non audent confiteri?

## CAPUT X.

*De Jove, ac ejus vita libidinoſa.*

Horum autem omnium rex & pater Jupiter, quem tenere in cœlo ſummam credunt poteſtatem, quid habuit poteſtatis, qui Saturnum patrem regno expulit, & armis fugientem perſecutus eſt? quid continentiæ, qui omnia libidinum genera exercuit? Nam idem Alcmenam Lædamque ſummis viris nuptas adulterio fecit infames; idem pulcritudine pueri captus, venantem ac virilia meditantem ad fœmineos uſus violenter abripuit. Quid virginum ſtupra commemorem, quarum multitudo quanta fuerit, filiorum numerus oſtendit? In una tamen Thetide abſtinentior fuit. Erat enim prædictum, quod is, quem pa-

ritura eſſet, major patre ſuo futurus eſſet. Pugnavit ergo cum amore, ne quis ſe major naſceretur. Sciebat ergo, ſe non eſſe perfectæ virtutis, magnitudinis, poteſtatis, qui, quod ipſe Patri fecerat, timuit. Cur igitur maximus, optimus nominatur, cum ſe & peccatis contaminaverit, quod eſt injuſti ac mali, & majorem timuerit, quod eſt imbecillis ac minoris.

---

## CAPUT XI.

*Varia emblemata, quibus Jovis turpitudines velarunt Poetæ.*

Sed dicet aliquis, ficta hæc eſſe a Poetis. Non eſt hoc poeticum, ſic fingere, ut totum mentiare, ſed ut ea, quæ geſta ſunt, figura, & quaſi velamine aliquo verſicolore prætexas. Hunc habet poetica licentia modum, non ut totum fingat, quod eſt mendacis & inepti, ſed ut aliquid cum ratione commutet. In imbrem ſe aureum vertiſſe dixerunt Jovem, ut Danaen falleret. Quis eſt imber aureus? Utique aurei nummi, quorum magnam copiam offerens, & in ſinum infundens, fragilitatem virginalis animi hac mercede corrupit. Sic & imbrem ferreum dicunt, cum volunt multitudinem ſignificare telorum. Catamitum in aquila rapuit. Quæ eſt aquila? Legio ſcilicet, quoniam figura hujus animalis inſigne legionis eſt. Europam transvexit in tauro. Quis eſt taurus? Utique navis, quæ tutelam habuit, tauri ſpecie figuratam. Sic Inachi filia, non utique bos facta transnavit: ſed ejusmodi navigio iram Junonis effugit, quod habebat bovis formam. Denique cum in Ægyptum delata eſſet, Iſis eſt facta, cujus navigium certo quodam die in memoriam fugæ celebratur.

CAPUT

## CAPUT XII.

*Poetæ ea, quæ ad Deos ſpectant, non omnia fingunt.*

Vides ergo, non omnia Poetas confinxiſſe, & quædam præfiguraſſe, ut cum vera dicerent, aliquid tale numinis adderent iis, quos Deos eſſe dicebant; ſicut etiam de regnis. Cum enim dicunt Jovem Cœli regnum ſorte tenuiſſe, aut Olympum montem ſignificant, in quo Saturnum, & Jovem poſtmodum habitaſſe veteres hiſtoriæ produnt, aut partem Orientis, quæ ſit quaſi ſuperior, quod inde lux naſcitur; Occidentis autem velut inferior, & ideo Plutonem inferos eſſe ſortitum; mare vero ceſſiſſe Neptuno, quod oram maritimam cum omnibus inſulis obtinuerit. Multa ſic Poetæ colorant; quod qui neſciunt, tanquam mendaces eos arguunt, verbo duntaxat. Nam re quidem credunt; quoniam Deorum ſimulacra ſic fingunt, ut cum mares ac fœminas faciant, & alios conjuges, alios parentes, alios liberos fateantur, Poetis utique aſſentiunt: hæc enim ſine coitu & generatione eſſe non poſſunt.

## CAPUT XIII.

*Narrantur facta Jovis ex Euhemero Hiſtorico.*

Sed omittamus ſane Poetas. Ad hiſtoriam veniamus, quæ ſimul & rerum fide, & temporum nititur vetuſtate. Euhemerus fuit Meſſenius, antiquiſſimus ſcriptor, qui de ſacris Inſcriptionibus veterum templorum & originem Jovis, & res geſtas omnemque progeniem collegit; item cæterorum Deorum parentes, patrias, actus, imperia, obitus, ſepulcra etiam perſecutus eſt. Quam hiſtoriam vertit

tit Ennius in latinam, cujus hæc verba ſunt: „Hæc „ut ſcripta ſunt, Jovis fratrumque ejus ſtirps atque „cognatio, in hunc modum nobis e ſacra ſcriptione „traditum eſt.„ Idem igitur Euhemerus Jovem tradit, cum quinquies orbem circumiviſſet, & amicis ſuis atque cognatis diſtribuiſſet imperia, legesque hominibus, multaque alia bona feciſſet, immortali gloria memoriaque affectum ſempiterna in Creta vitam commutaſſe, atque ad Deos abiiſſe, & ſepulcrum ejus eſſe in Creta, in oppido Gnoſſo, & in eo ſcriptum antiquis litteris Græcis ΖΑΝ ΚΡΟΝΟΥ; quod eſt Jupiter Saturni. Conſtat ergo ex iis, quæ retuli, hominem fuiſſe, in terramque regnaſſe.

---

## CAPUT XIV.

*Saturni & Urani geſta ex Hiſtoricis deſumpta.*

Transeamus ad ſuperiora, ut originem totius erroris deprehendamus. Saturnus Cœlo & Terra traditur natus. Hoc utique incredibile eſt. Sed cur ita traditur, ratio certa eſt, quam qui ignorat, tanquam fabulam reſpuit. Saturni Patrem Uranum fuiſſe vocitatum, & Hermes autor eſt, & ſacra hiſtoria docet. Triſmegiſtus paucos admodum fuiſſe cum diceret perfectæ doctrinæ viros, in iis cognatos ſuos enumeravit, Uranum, Saturnum, Mercurium. Euhemerus eumdem Uranum primum in terram regnaſſe commemorat his verbis: „Initio primus in terris im„perium ſummum Cœlus habuit: is id regnum una „cum fratribus ſuis ſibi inſtituit atque paravit.“

*Hic in Cod. MS. plura deficiunt, duo certe, ut arbitror, folia. Nec vox* PARAVIT *tota extat, ſed ſolum* PARA *ſub finem paginæ. Sequitur:*

hominum ſtultam benevolentiam & errorem divinitas attributa ſit.

CAPUT

## CAPUT XX.

*De Diis Romanorum propriis.*

Dixi de Religionibus, quæ ſunt communes omnium gentium. Dicam nunc de diis, quos Romani proprios habent. Fauſtuli conjugem Romuli Remique nutricem, cujus honori Larentinalia ſunt dicata, vulgati fuiſſe corporis quis ignorat? Et idcirco Lupa nuncupata eſt, & in feræ ſpeciem figurata. Faula quoque & Flora meretrices erant, quarum altera Herculis fuit ſcortum, ſicut Verrius tradit, altera cum magnas opes corpore quæſiviſſet, populum ſcripſit hæredem, & ideo in honorem ejus ludi Floralia celebrantur.

Tatius muliebre ſimulacrum in cloaca maxima repertum conſecravit, & deam Cloacinam nuncupavit. Obſeſſi a Gallis Romani ex mulierum capillis tormenta fecerunt, & ob id Veneri Calvæ aram templumque poſuerunt; item Piſtori Jovi, quod eos monuerat in quiete, ut ex omni fruge panem facerent, & ſupra hoſtes jacerent, quo facto deſperantes Galli poſſe inopia Romanos ſubigi, ab obſidione diſceſſerant. Pavorem ac Pallorem Tullus Hoſtilius deos fecit. Colitur & Mens, quam, credo, ſi habuiſſent, nunquam colendam putaſſent. Honorem atque Virtutem Marcellus invenit.

## CAPUT XXI.

*De ſacris Deorum Romanorum.*

Sed & alios ejusmodi commentitios deos Senatus inſtituit, ſpem, fidem, concordiam, pacem, pudicitiam, pietatem, quæ omnia, cum in animis hominum

minum eſſe vera deberent, intra parietes falſa poſuerunt. Hos tamen quamvis extra hominem in nulla ſint omnino ſubſtantia, mallem potius coli, quam rubiginem, quam febrem, quæ non ſacranda ſunt, ſed execranda; quam Fornacem, cum ſuis Fornacalibus ſacris; quam Stercutum, qui fumo pinguefacere terram primus oſtendit; quam deam Mutam, quæ Lares genuit; quam Cuninam, quæ cunis infantium præeſt; quam Cacam, quæ ad Herculem de furto boum detulit, ut occideret fratrem. Quam multa ſunt alia portenta atque ludibria, de quibus piget dicere? Terminum tamen non libet præterire; quia ne Jovi quidem Capitolino ceſſiſſe traditur, cum lapis eſſet informis. Hunc finium putant habere cuſtodiam, eique publice ſupplicatur, ut Capitolii immobile ſaxum Romani Imperii fines & conſervet & proroget.

---

## CAPUT XXII.

*De ſacris introductis a Fauno & Numa.*

HAs omnes ineptias primus in Latio Faunus induxit, qui & Saturno avo cruenta conſtituit, & Fatuam Faunam conjugem ſororemque inter deos conlocavit, ac Bonam deam nominavit. Deinde Romæ Numa, qui agreſtes illos ac rudes viros ſuperſtitionibus novis oneravit, ſacerdotia inſtituit, & deos familiis gentibusque diſtribuit, ut animos ferocis populi ab armorum ſtudiis avocaret. Ideo Lucilius deridens ineptias iſtorum, qui fanis ſuperſtitionibus ſerviunt, hos verſus poſuit:

*Terriculas Lamias Fauni, quas Pompiliique*
*Inſtituere Numæ: tremit has; hic omnia ponit.*
*Ut pueri infantes credunt ſigna omnia ahena*
*Vivere,*

*Vivere, & eſſe homines; ſic iſti omnia ficta*
*Vera putant, credunt ſignis cor ineſſe in ahenis,*
*Pergula pictorum, veri nihil, omnia picta.*

Tullius quoque de Natura deorum commentitios ac fictos deos queritur inductos, & hinc extitiſſe falſas opiniones, erroresque turbulentos, & ſuperſtitiones pene aniles. Quæ ſententia eo debet gravior comparari, quod hæc diſſeruit & Philoſophus & Sacerdos.

---

## CAPUT XXIII.

### *De Diis & ſacris Barbarorum.*

Diximus de Diis; nunc de ritibus ſacrorum culturisque dicemus. Jovi Cyprio, ſicut Teucrus inſtituerat, humana hoſtia mactari ſolebat. Sic & Tauri Dianæ hoſpites immolabant; Latiaris quoque Jupiter humano ſanguine propitiatus eſt. Etiam ante Saturnum ſexagenarii homines ex perſona Apollinis de ponte in Tiberim dejiciebantur. Et eidem Saturno Carthaginienſes non modo infantes proſecrabant, ſed & victi a Siculis, ut piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaverunt. Nec illa his humaniora ſunt, quæ fiunt etiamnunc Matri magnæ atque Bellonæ, in quibus Antiſtites non alieno ſanguine, ſed ſuo litant, cum amputatis genitalibus a viris migrant, nec ad fœminas transeunt, aut ſectis humeris deteſtabiles aras proprio cruore reſpergunt. Sed hæc crudelia.

Veniamus ad mitia. Iſidis ſacra nihil aliud oſtendunt, niſi quemadmodum filium parvum, qui dicitur Oſiris, perdiderit & invenerit. Nam primo Sacerdotes ac Miniſtri, deraſis omnibus membris, tunſisque pectoribus, plangunt, dolent, quærunt, affectum

fectum matris imitantes; poſtmodum puer per Cynocephalum invenitur. Sic luctuoſa ſacra lætitia terminantur. His etiam Cereris ſimile myſterium eſt, in quo, facibus accenſis, per noctem Proſerpina inquiritur, & ea inventa ritus omnis gratulatione ac tædarum jactatione finitur. Lampſaceni aſellum Priapo mactant. Ea enim viſa eſt aptior victima, quæ ipſi, cui mactatur, magnitudine virilis obſcœni poſſet æquari.

Lindos eſt oppidum Rhodi, ubi Herculis ſacra maledictis celebrantur. Hercules enim cum boves aratori abſtuliſſet, atque immolaſſet, ille injuriam ſuam convitiis ultus eſt, eoque ipſo Sacerdote poſtmodum conſtituto, ſancitum eſt, ut iisdem maledictis, & ipſe, & alii poſtea Sacerdotes ſacra celebrarent. Cretici autem Jovis myſterium eſt, quomodo infans aut ſubtractus ſit patri, aut educatus. Capella præſto eſt, cujus uberibus puerum Amalthea nutrivit. Idem etiam Matris Deum ſacra demonſtrant. Nam quia tum Corybantes galearum tinnitibus & ſcutorum pulſibus vagitum pueri texerant, nunc imago rei refertur in ſacris: ſed pro galeis cymbala, pro ſcutis tympana feruntur, ne puerum vagientem Saturnus exaudiat.

## CAPUT XXIV.

*De origine Sacrorum & Religionum.*

Hæc ſunt myſteria Deorum. Nunc etiam originem religionum requiramus, ut & a quibus, & per quæ tempora inſtitutæ fuerint, eruamus. Didymus in iis libris, qui inſcribuntur ἐξηγησεως πινδαρικης, Melyſſea fuiſſe tradit Cretenſium Regem, cujus filiæ fuerint Amalthea & Meliſſa, quæ Jovem nutrierint capri-

caprino lacte ac melle. Hunc novos ritus ac pompas ſacrorum introduxiſſe, & primum Diis ſacrificaſſe, id eſt Veſtæ, quæ dicitur Tellus. Unde Poeta:

*primamque Deorum*
*Tellurem;*

& poſtmodum: *Deum matri.* Euhemerus autem in ſacra hiſtoria ipſum Jovem dicit, poſtquam imperium ceperit, ſibi multis in locis fana poſuiſſe. Nam „circuiens orbem, ut quemque in locum venerat, „principes populorum amicitia ſibi & hoſpitii jure „ſociabat. Cujus rei ut poſſet memoria ſervari, fa„num ſibi creari jubebat, atque ab hoſpitibus ſuis „annua feſta celebrari. Sic per omnes terras cul„tum ſui nominis ſeminavit.“ Quando autem iſti fuerint, facile colligi poteſt. Scribit enim Thallus in hiſtoria ſua, Belum Regem Aſſyriorum, quem Babylonii colunt, quique Saturni fuerit æqualis & amicus, antiquiorem fuiſſe Troico bello annis CCCXXII. & ſunt ab Ilio capto anni M. CCCCLXX. Unde apparet non amplius quam M. DCCC. eſſe annos, ex quo novis Deorum cultibus inſtitutis, humanum genus inciderit in errorem.

---

## CAPUT XXV.

*De aureo ſeculo; de ſimulacris ac Prometheo, qui primus hominem effigiavit.*

Merito igitur Poetæ commutatum eſſe aureum ſeculum memorant, quod fuerit regnante Saturno. Nulli enim tunc Dii colebantur: ſed unum & ſolum Deum noverant. Poſtquam ſe terrenis ac fragilibus ſubjugaverunt, colentes ligna, & æra, & lapides, commutatio ſeculi facta eſt usque ad ferrum.

Amiſſa enim Dei notitia, & uno illo vinculo humanæ ſocietatis abrupto, vaſtare ſe invicem, prædari, ac debellare cœperunt. Quod ſi ſurſum oculos ſuos tollerent, ac Deum intuerentur, qui eos ad adſpectum cœli ſuique excitavit, nunquam ſe curvos & humiles facerent terrena venerando, quorum ſtultitiam Lucretius graviter incuſat, dicens:

*Et faciunt animos humiles formidine divum,*
*Depreſſosque premunt ad terram,*

qua reddunt. Nec intelligunt, quam vanum ſit ea timere quæ feceris, aut ab his aliquod ſperare præſidium, quæ muta & inſenſibilia, nec vident, nec audiunt ſupplicantem. Quid ergo majeſtatis aut numinis habere poſſunt, quæ & fuerunt in hominis poteſtate ne fierent, aut ut aliud fierent, & ſunt etiam nunc. Nam & violari, & furto ſublati poſſunt, niſi illa & lex ſepiat & humana cuſtodia Num igitur mentis ſuæ compos videri poteſt, qui talibus optimas victimas cædit, dona conſecrat, pretioſas veſtes offert, quaſi uti poſſint, qui motu carent? Merito ergo Dionyſius Siciliæ Tyrannus Deos Græciæ, cum eam victor occupaſſet, ſpoliavit atque deriſit, & poſt ſacrilegia, quæ admiſerat, ad Siciliam proſpera navigatione remeavit, regnumque tenuit usque ad ſenectutem. Nec eum Dii violati punire potuerunt.

Quanto ſatius eſt, ſpretis inanibus, ad Deum ſe convertere, tueri ſtatum, quem a Deo acceperis, tueri nomen. Idcirco enim ανϑρωπος, quia ſurſum ſpectat, nominatur. Surſum autem ſpectat, qui Deum verum & vivum, qui eſt in cœlo, ſuſpicit, qui artificem, qui parentem animæ ſuæ non modo ſenſu ac mente, verum etiam vultu & oculis ſublimibus quærit. Qui autem ſe terrenis humilibusque ſubſternit, utique illud quod eſt inferius ſibi præfert. Nam, cum ipſe

opus

opus Dei ſit, ſimulacrum autem opus hominis, non poteſt humanum opus divino anteponi; & ſicut Deus hominis parens eſt, ita ſimulacri homo. Stultus igitur & amens, qui adorat quod ipſe fabricavit. Cujus artificii deteſtabilis & inepti autor fuit Prometheus, patruo Jovis Japeto natus. Nam cum primum Jupiter, ſummo potitus imperio, tamquam Deum ſe conſtituere vellet, ac templa condere, & quæreret aliquem, qui humanam figuram poſſet exprimere, tunc Prometheus extitit, qui hominis effigiem de pingui luto figuraret, ita veriſimiliter, ut novitas ac ſubtilitas artis miraculo eſſet. Denique illum & ſui temporis homines, & poſtea Poetæ, tanquam fictorem veri ac vivi hominis prodiderunt, & nos, quoties fabrefacta ſigna laudamus, vivere illa & ſpirare dicimus. Et hic quidem autor fuit fictilium ſimulacrorum. Sequentes autem poſteri & de marmore ſculpſerunt, & ex ære fuderunt: deinde proceſſu temporum ex auro & ebore acceſſit ornatus, ut non modo ſimilitudines oculos hominum, verum etiam fulgor ipſe præſtringeret. Sic illecti pulcritudine, ac veræ majeſtatis obliti, inſenſibilia ſentientes, irrationabilia rationabiles, exanima viventes colenda ſibi ac veneranda duxerunt.

---

## CAPUT XXVI.

### *De elementorum & aſtrorum cultu.*

Nunc refellamus eos etiam, qui elementa mundi tanquam Deos habent, id eſt, cœlum, ſolem atque lunam, quorum artificem non cognoſcentes, ipſa opera mirantur & adorant. Qui error non imperitorum modo, verum etiam Philoſophorum eſt; ſiquidem Stoici univerſa cœleſtia in Deorum numero habenda cenſent, quia certos & rationabiles motus

habent, quibus ſuccedentium ſibi temporum viciſſitudines conſtantiſſime ſervant. Non eſt igitur in his voluntarius motus, quia præſtitutis legibus ſerviunt, non proprio utique ſenſu, ſed opificio ſummi conditoris, qui illa ſic ordinavit, ut inenarrabiles curſus & certa ſpatia conficerent, quibus dierum ac noctium, æſtatis & hyemis alterna variarent. Quod ſi effectus eorum, ſi meatus, ſi claritatem, ſi conſtantiam, ſi pulcritudinem admirantur, intelligere debuerunt, quanto his pulcrior, & præclarior, & potentior ſit ipſe conditor, atque artifex eorum Deus. Sed illi divinitatem humanis viſibus æſtimaverunt, ignorantes nec æternum eſſe poſſe; quod veniat ſub aſpectum, nec quod ſit æternum, poſſe oculis mortalibus comprehendi.

---

## CAPUT XXVII.

*De Hominis creatione, peccato & pœna; ac de Angelis, tum bonis, tum malis.*

Unum & ultimum reſtat, ut quoniam plerumque accidit, ſicuti in hiſtoriis legimus, ut majeſtatem ſuam Dii oſtendiſſe videantur per auguria, per ſomnia, per oracula, tum etiam pœnis eorum, qui ſacrilegia commiſerant, doceam quæ ratio id effecerit, ne quis etiam nunc in eosdem laqueos incidat, in quos illi veteres inciderunt. Cum Deus pro virtute majeſtatis ſuæ mundum de nihilo condidiſſet, cœlumque luminibus adornaſſet, terram vero & mare compleſſet animalibus, tum hominem de limo ad imaginem ſimilitudinis ſuæ figuratum inſpiravit ad vitam, poſuitque eum in Paradiſo, quem conſeverat omni genere fructiferi ligni, & præcepit ei, ne una ex arbore, in qua poſuerat ei ſcientiam boni malique,

que, guſtaret, fore interminatus, ut vitam perderet, ſi feciſſet; ſi vero mandatum ſervaret, immortalis permaneret. Tum ſerpens, qui erat unus ex Dei miniſtris, invidens homini quod eſſet immortalis effectus, illexit eum dolo, ut mandatum Dei legemque tranſcenderet. Et hoc modo ſcientiam quidem boni ac mali accepit; ſed vitam, quam perpetuam Deus tribuerat, amiſit.

Ejecit ergo peccatorem de ſancto loco, & in hunc orbem relegavit, ut victum quæreret per laborem, ut difficultates & ærumnas pro merito ſuſtineret; ipſumque Paradiſum vallo igneo circumfudit, ne quis hominum ad diem usque judicii ad locum illum perpetuæ beatitudinis conaretur irrepere. Tum ſecuta eſt hominem mors ex Dei ſententia; & tamen vita ejus, licet temporalis eſſe cœpiſſet, in mille annis terminum ſumpſit, & id fuit humanæ vitæ ſpatium usque ad cataclyſmi tempus. Nam poſt diluvium paulatim vita hominum breviata, & ad annos centum viginti redacta eſt. Serpens vero ille, qui de factis diabolus, id eſt, criminator ſive delator nomen accepit, non deſtitit ſemen hominis, quem a principio deceperat, perſequi. Denique eum, qui primus in hoc orbe generatus eſt, inſpirato livore, in cædem fratris armavit, ut de duobus primogenitis hominibus alterum extingueret, alterum faceret parricidam. Nec quievit deinceps, quominus per ſingulas generationes pectoribus hominum malitiæ virus infunderet, eos corrumperet, depravaret, tantis denique ſceleribus obrueret, ut juſtitiæ jam rarum eſſet exemplum, & viverent homines ritu belluarum.

Quod Deus cum videret, Angelos ſuos miſit, ut vitam hominum excolerent, eosque ab omni malo tuerentur. His mandatum dedit, ut ſe terrenis abſtinerent, ne qua labe maculati, honore Angelico

 multa-

mulctarentur. Sed eos quoque idem ille ſubdolus criminator, dum inter homines commorantur, illexit ad voluptates, ut ſe cum mulieribus inquinarent. Tum damnati ſententia Dei, & ob peccata projecti, & nomen Angelorum, & ſubſtantiam perdiderunt. Ita diaboli ſatellites facti, ut haberent ſolatium perditionis ſuæ, ad perdendos homines ſe converterunt, quos ut tuerentur, advenerant.

---

## CAPUT XXVIII.

*De Dæmonibus, ac eorum operationibus malis.*

Hi ſunt dæmones, de quibus Poetæ ſæpe in carminibus ſuis loquuntur, quos cuſtodes hominum appellat Heſiodus. Ita enim perſuaſerunt hominibus illecebris atque fallaciis ſuis, ut eosdem Deos eſſe crederent. Denique Socrates habere ſe a prima pueritia cuſtodem rectoremque vitæ ſuæ dæmonem prædicabat, ſine cujus nutu & imperio nihil agere poſſet. Adhærent ergo ſingulis, & ſub nomine Geniorum aut Penatium domos occupant. His ſacraria conſtituuntur, his quotidie libatur ut Laribus, his honos datur tanquam malorum depulſoribus. Hi a principio, ut averterent homines a Dei veri agnitione, novas religiones & cultus Deorum introduxerunt: hi memorias Regum mortuorum conſecrari, templa conſtitui, ſimulacra fieri docuerunt; non ut honorem Dei minuerent, aut ſuum augerent, quem peccando amiſerunt: ſed ut vitam hominibus eriperent, ſpem veræ lucis auferrent, ne homines, unde illi exciderunt, ad immortalitatis cœleſte præmium pervenirent.

Iidem aſtrologiam prodiderunt, & auguratum, & aruſpicium; quæ cum per ſe falſa ſint, tamen ipſi, auto-

autores malorum, ſic ea gubernant, ſic temperant, ut vera credantur. Ipſi etiam magicæ artis præſtigias ad circumſcribendos oculos repererunt. Illorum adſpiratione fit, ut quod ſit, non eſſe, & quod non ſit, eſſe videatur. Ipſi necromantias, ipſi ſortes & oracula invenerunt, ut mentes hominum per ambiguos exitus mentita divinatione deludant. In templis vero & ſacrificiis omnibus præſentes adſunt, & prodigiis quibusdam fallacibus editis ad miraculum præſentium, ſic homines circumveniunt, ut ineſſe numen ſimulacris & imaginibus credant. Irrepunt etiam corporibus, ut ſpiritus tenues, vitiatisque membris, morbos conciunt, quos ſacrificiis votisque placati poſtmodum relaxent: ſomnia immittunt, aut plane terrores, ut ipſi rogentur, aut quorum exitus reſpondeant veritati, ut venerationem ſui augeant. Nonnunquam etiam in ſacrilegos edunt aliquid ultionis, ut quisquis viderit, timidior ac religioſior fiat. Sic fraudibus ſuis obduxerunt humano generi tenebras, ut oppreſſa veritate, ſummi ac ſingularis Dei nomen in oblivionem veniret.

---

## CAPUT XXIX.

### *De Dei Patientia atque Providentia.*

Sed dicit quispiam: Cur ergo verus ille Deus patitur hæc fieri? An potius malos vel ſummovet, vel extinguit? Cur vero ipſi dæmoni *ἀρχην* a principio fecit, ut eſſet, qui cuncta corrumperet, cuncta diſperderet? Dicam breviter, cur hunc talem eſſe voluerint. Quæro utrumne virtus bonum ſit, an malum? Negari non poteſt, quin bonum. Si bonum eſt virtus, malum eſt igitur e contrario vitium. Si vitium ex eo malum eſt, quia virtutem impugnat,

& virtus ex eo bonum eſt, quia vitium affligit, ergo non poteſt virtus ſine vitio conſiſtere, & ſi vitium ſuſtuleris, virtutis merita tollentur. Nec enim poteſt ulla fieri ſine hoſte victoria. Ita fit, ut bonum ſine malo eſſe non poſſit.

Vidit hoc Chryſippus, vir acris ingenii, de providentia diſſerens, eosque ſtultitiæ redarguit, qui bonum quidem a Deo factum putant, malum autem negant. Hujus ſententiam interpretatus eſt A. Gellius in libris Noctium Atticarum, ſic dicens: „Quibus non videtur mundus Dei & hominum cauſa inſtitutus, neque res humanæ providentia gubernari, gravi ſe argumento uti putant, cum ita dicunt: Si eſſet Providentia, nulla eſſent mala. Nihil enim minus ajunt providentiæ congruere, quam in eo mundo, propter quem homines feciſſe dicatur Deus, tantam vim eſſe ærumnarum & malorum. Ad ea Chryſippus, cum in libro περι προνοιας quarto diſſereret: Nihil prorſus, inquit, iſtis inſulſius, qui opinantur bona eſſe potuiſſe, ſi non eſſent ibidem mala. Nam cum bona malis contraria ſint, utraque neceſſe eſt oppoſita eſſe inter ſe, & quaſi mutuo adverſoque fulta niſu conſiſtere. Nullum adeo contrarium eſt ſine contrario altero. Quo enim pacto juſtitiæ ſenſus eſſe poſſet, niſi eſſent injuriæ? aut quid aliud juſtitia eſt, quam injuſtitiæ privatio? Quid item fortitudo ſit, non intelligi poteſt, niſi ex ignaviæ adpoſitione? quid continentia, niſi ex intemperantia. Quo item modo prudentia eſſet, niſi foret contraria imprudentia? Proinde, inquit, homines ſtulti cur non hoc etiam deſiderant, ut veritas ſit, & non ſit mendacium. Namque itidem ſunt bona & mala, felicitas & infortunitas, voluptas & dolor. Alterum enim ex altero, ſicut Plato ait, verticibus inter ſe contrariis deligatum, ſi tuleris unum, abſtuleris utrumque.“ Vides ergo id,

quod

quod ſæpe dixi, bonum & malum ita ſibi eſſe connexa, ut alterum ſine altero conſtare non poſſit. Summa igitur prudentia Deus materiam virtutis in malis poſuit; quæ idcirco fecit, ut nobis conſtitueret agonem, in quo victores immortalitatis præmio coronaret.

## CAPUT XXX.

*De falſa Sapientia.*

Docui, ut opinor, cultus Deorum non modo impios, ſed etiam vanos eſſe; vel quod homines fuerint, quorum memoria poſt obitum conſecrata ſit; vel quod ſimulacra ipſa inſenſibilia & ſurda ſint, quia ſunt ficta de terra, nec oportere hominem, qui debeat ſpectare cœleſtia, terrenis ſe ſubjugare; vel quod ſpiritus, qui eas religiones ſibi vindicant, inceſti & impuri ſint, & ideo Dei ſententia contemnati ceciderint in terram, nec fas eſſe in eorum ditionem venire, quibus potior ſis, ſi Deum verum ſequi velis. Supereſt ut, quoniam de falſa Religione diximus, etiam de falſa ſapientia diſſeramus; quam Philoſophi profitentur, homines ſumma quidem doctrina & eloquentia præditi, ſed longe a veritate ſummoti, quia nec Deum, nec ſapientiam Dei cognoverunt. Qui licet ſint arguti ac diſerti, tamen quia humana eſt eorum ſapientia, etiam cum his congredi non verebor, ut appareat a veritate mendacium, a cœleſtibus terrena facile poſſe ſuperari.

Quid ſit Philoſophia, hoc modo definiunt: Philoſophia eſt amor vel ſtudium ſapientiæ. Non eſt ergo ipſa ſapientia; quia neceſſe eſt aliud eſſe, quod amat, aliud, quod amatur. Si ſtudium eſt ſapientiæ, ne ſic quidem Philoſophia ſapientia eſt. Sapientia enim

res eſt ipſa, quæ quæritur; ſtudium vero, quod quærit. Ipſa igitur definitio, vel nominis ſignificatio, declarat Philoſophiam non eſſe ipſam ſapientiam; dicam ne ſtudium quidem eſſe ſapientiæ, quo ſapientia non comprehenditur. Quis enim ſtudere dicatur ei rei, quam nullo modo poſſit attingere? Qui medicinæ, aut grammaticæ, aut oratoriæ ſtudet, ſtudioſus ejus artis, quam diſcit, dici poteſt: ubi didicit, jam Medicus, jam Grammaticus, jam Orator dicitur. Sic oportuit & ſtudioſos ſapientiæ, poſtquam didiciſſent, ſapientes nominari. Cum autem ſtudioſi ſapientiæ, quamdiu vivant, vocentur, apparet illud ſtudium non eſſe, quod ad ipſam rem, quæ ſtudio petitur, non poteſt perveniri; niſi forte qui ad finem usque vitæ, ut ſapiant, ſtudent, apud inferos ſapientes erunt. Omni autem ſtudio ſubjacet finis. Non eſt igitur id ſtudium rectum, quod non habet finem.

## CAPUT XXXI.

*De Scientia & Opinatione.*

Præterea duo ſunt, quæ cadere in Philoſophiam videntur, ſcientia & opinatio; quæ ſi auferantur, tota Philoſophia corruit. Atqui utrumque Philoſophiæ ipſi philoſophorum principes ademerunt. Scientiam Socrates, opinationem ſuſtulit Zeno. Videamus an recte ſapientia eſt, ut Cicero definivit, „divinarum & humanarum rerum ſcientia.„ Quæ definitio ſi vera eſt, non cadit in hominem ſapientia. Quis enim mortalium hoc ſibi poſſit aſſumere, ut divina & humana ſcire ſe profiteatur? Humana omitto; quæ quanquam cum divinis connexa ſunt, tamen quia ſunt hominis, concedamus ut homo illa

ſcire

ſcire poſſit. Divina certe per ſe ſcire non poteſt, quia homo eſt: qui autem ſcit illa, divinus ſit neceſſe eſt, ac propterea Deus. Homo autem nec divinus, nec Deus eſt. Non poteſt igitur perſcire homo divina. Nemo ergo ſapiens, niſi Deus, aut certe is homo, quem Deus docuit. Illi autem, quia nec Dii ſunt, nec a Deo docti, ſapientes ergo, id eſt, divinarum & humanarum rerum ſcientes eſſe non poſſunt. Recte igitur a Socrate atque Academicis ſcientia ſublata eſt. Opinatio quoque non congruit ſapienti. Id enim quisque opinatur, quod ignorat. Opinari autem ſcire te, quod ignores, temeritas ac ſtultitia eſt. Recte igitur opinatio a Zenone ſublata eſt. Si ergo ſcientia in homine nulla eſt, & opinatio eſſe non debet, Philoſophia radicitus amputatur.

---

## CAPUT XXXII.

### *De Philoſophorum Sectis, ac diſſentione.*

Huc accedit, quod non eſt uniformis: ſed diviſa in ſectas, & in multas diſcrepantesque ſententias diſſipata, ſtatum non habet. Cum enim ſingulæ alias omnes impugnent & affligant, nec ſit aliqua ex iis, quæ non judicio cæterarum ſtultitiæ condemnetur, utique diſcordantibus membris, corpus omne Philoſophiæ ad interitum deducitur. Hinc Academia poſtmodum nata eſt. Nam cum viderent ejus ſectæ principes omnem Philoſophiam, Philoſophis invicem oppugnantibus, eſſe ſubverſam, ſuſceperunt adverſus omnes bellum, ut omnia omnium diſſolverent, nihil ipſi aſſerentes, niſi unum, nihil ſciri poſſe. Ita ſublata ſcientia, Philoſophiam veterem ſubruerunt. Sed ne ipſi quidem philoſophorum nomen retinuerunt,

runt, qui ignorantiam fatebantur, quia neſcire omnia non modo philoſophi, ſed ne hominis quidem ſit. Ita philoſophi, quia nihil munimenti habent, mutuis ſe vulneribus extinguant, & ipſa tota Philoſophia ſuis ſe armis conſumat ac finiat. Atenim ſola phyſica labat. Quid illa Moralis? Num aliqua firmitate ſubnixa eſt? Videamus an philoſophi in hac ſaltem parte conſentiant, quæ ad vitæ ſtatum pertinet.

---

## CAPUT XXXIII.

*Quod ſummum bonum ſit in vita quærendum.*

Quod ſit in vita, ſummum bonum quæri neceſſe eſt, ut ad illud vita omnis & actiones noſtræ dirigantur. Cum de hominis ſummo bono quæritur, tale conſtitui debet, primum, ut id ad hominem ſolum pertineat, deinde, ut animi ſit proprium, poſtremo, ut virtute quæratur. Videamus ergo, an ſummum bonum, quod philoſophi determinant, tale ſit, ut nec mutum animal, nec corpus attingat, nec poſſit ſine virtute conquiri.

Ariſtippus, Cyrenaicæ ſectæ conditor, qui ſummum bonum eſſe cenſuit corporis voluptatem, de numero philoſophorum, deque cœtu hominum propellendus eſt, quia ſe pecudi comparavit. Hieronymi ſummum bonum eſt, nihil dolere; Diodori, dolere deſinere. Sed cæteræ animantes dolorem fugiunt, & cum non dolent, aut dolere deſinunt, gaudent. Quid igitur homini dabitur eximium, ſi bonum ejus ſummum commune cum belluis judicatur? Zeno ſummum bonum putavit, cum natura congruenter vivere. At hæc definitio generalis eſt. Omnes enim animantes cum natura congruenter vivunt, & eſt ſua cuique natura.

Epicu-

Epicurus animi aſſeruit voluptatem. Quid eſt voluptas animi? niſi gaudium, quo plerumque luxuriat animus, ac relaxatur, vel ad luſum, vel ad riſum. Sed hoc bonum etiam muta contingit, quæ cum pabulis ſaturata ſunt, in gaudium & laſciviam reſolvuntur. Dinomachus & Callipho honeſtam voluptatem probaverunt: ſed aut idem dixerunt, quod Epicurus, ut corporis ſit voluptas inhoneſta; aut ſi corporis voluptates, alias turpes, alias honeſtas putaverunt, jam non eſt ſummum bonum, quod corpori adſcribitur. Peripatetici ex bonis animi & corporis & fortunæ ſummum bonum conflant. Animi bona probari poſſunt. Sed ſi auxilio indigent ad complendam beatitudinem, utique imbecilla ſunt: corporis vero atque fortunæ, non ſunt in hominis poteſtate; nec jam ſummum bonum eſt, quod aut corpori, aut extra poſitis aſſignatur, quia & pecudes attingit hoc duplex bonum, quibus opus eſt, ut & bene valeant, & victu non indigeant. Stoici aliquanto melius ſenſiſſe creduntur, qui ſummum bonum virtutem eſſe dixerunt. Sed virtus non poteſt eſſe ſummum bonum: quoniam, ſi malorum laborumque tolerantia eſt, beata per ſe non eſt; ſed efficere aut procreare ſummum bonum debet, quia perveniri ad illud, ſine difficultate ac labore maximo, non poteſt. At vero Ariſtoteles longe a ratione aberravit, qui honeſtatem virtuti copulavit; quaſi aliquando virtus aut ab honeſtate ſecerni, aut turpitudini poſſet adjungi.

Eryllus Pyrrhonius ſcientiam fecit ſummum bonum. Hæc quidem, & hominis, & animi ſolius eſt: ſed poteſt ſine virtute contingere. Nec enim beatus putandus eſt, qui vel auditu aliquid didicerit, vel parva lectione cognoverit; nec eſt ſummi boni definitio, quia poteſt eſſe aut rerum malarum, aut certe inutilium ſcientia. Et ſi ſit bonarum & utilium, quam labore ſis aſſecutus, ſummum tamen bonum

non

non eſt, quia non propter ſe expetitur ſcientia, ſed propter aliud. Nam idcirco artes diſcuntur, ut ſint nobis aut victui, aut gloriæ, aut etiam voluptati; quæ utique ſumma bona eſſe non poſſunt. Ergo ne in Ethica quidem philoſophi regulam tenent, quandoquidem in ipſo cardine, id eſt, in ea diſputatione, qua vita formatur, inter ſe pugnant. Nec enim poſſunt paria eſſe aut ſimilia præcepta, cum alii forment ad voluptatem, alii ad honeſtatem, alii vero ad naturam, alii ad ſcientiam, alii ad quærendas, alii ad fugiendas opes, alii ad nihil dolendum, alii ad patientiam malorum; in quibus omnibus, ſicut ſuperius oſtendi, a ratione declinant, quia Deum neſciunt.

---

## CAPUT XXXIV.

*Quod ad juſtitiam nati ſint homines.*

Videamus nunc, quid ſit ſummum bonum, quod ſit propoſitum ſapienti ſummum bonum. Ad juſtitiam naſci homines, non modo litteræ ſacræ docent, verum etiam idem ipſi philoſophi nonnunquam fatentur. Cicero ſic ait: „Sed omnium, quæ in „doctorum hominum diſputatione verſantur, nihil „eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi nos „ad juſtitiam eſſe natos.“ Eſt hoc veriſſimum. Nec enim ad ſcelus naſcimur, cum ſimus animal ſociale atque commune. Feræ ad ſævitiam gignuntur. Aliter enim nequeunt quam præda & ſanguine victitare. Easdem tamen etſi ultima fames urgeat, nihilominus generis ſui animalibus parcunt. Idem faciunt & aves, quas aliorum viſceribus paſci neceſſe eſt. Quanto magis hominem, qui cum homine, & commercio linguæ, & communione ſenſus copulatus eſt, parcere homini oportet, eumque diligere! Hæc eſt enim juſtitia.

Sed

Sed quoniam ſoli homini ſapientia data eſt, ut Deum intelligat, & hæc ſola hominis mutorumque diſtantia eſt, duobus officiis obſtricta eſt ipſa juſtitia. Unum Deo debet, ut patri, alterum homini, velut fratri. Ab eodem enim Deo geniti ſumus. Merito ergo ac recte dictum eſt, ſapientiam eſſe divinarum & humanarum rerum ſcientiam. Oportet enim ſcire nos quid Deo, quid homini debeamus; Deo ſcilicet Religionem, homini charitatem. Sed illud ſuperius ſapientiæ, hoc poſterius virtutis eſt; & utrumque juſtitia comprehendit. Si ergo conſtat ad juſtitiam naſci hominem, neceſſe eſt juſtum malis eſſe ſubjectum, ut virtutem, qua eſt præditus, in uſu habeat. Virtus enim malorum ſuſtinentia eſt. Voluptates fugiet, ut malum; opes contemnet, quia fragiles ſunt; &, ſi habuerit, dilargietur, ut miſeros ſervet; honores non appetet, quia ſunt breves & caduci; injuriam nulli faciet; ſi fuerit paſſus, non retribuet; & diripientem ſua non perſequetur. Nefas enim judicabit hominem lædere; & ſi quis extiterit, qui cogat deſciſcere a Deo, nec cruciatus, nec mortem recuſabit. Ita fiet, ut eum neceſſe ſit, & inopem, & humilem, & in contumeliis, aut etiam cruciatibus vivere.

---

## CAPUT XXXV.

*Quod immortalitas ſit ſummum bonum.*

Quis igitur erit fructus juſtitiæ atque virtutis, ſi nihil habebit in vita niſi malum? Quod ſi virtus, quæ bona omnia terrena contemnit, mala univerſa ſapientiſſime perfert, ipſamque mortem pro officio ſuſcipit, ſine præmio eſſe non poteſt, quid ſupereſt, niſi merces ejus immortalitas ſola ſit? Nam, ſi cadit in hominem beata vita, ut philoſophi volunt, in

in eo ſolo non diſſidentes, cadit ergo & immortalitas. Id enim ſolum beatum eſt, quod incorruptum; id ſolum incorruptum, quod æternum. Immortalitas ergo eſt ſummum bonum, quia & hominis, & animi, & virtutis eſt. Tantum ad hanc dirigimur, ad hanc capiendam nati ſumus. Idcirco nobis Deus virtutem, juſtitiamque proponit, ut æternum illud præmium noſtris laboribus aſſequamur. De ipſa vero non mortalitate ſuo loco diſſeremus. Reſtat λογικη philoſophia, quæ ad beatam vitam nihil confert. Sapientia enim non in ſermonis ornatu, ſed in corde atque ſenſu conſiſtit. Quod ſi & Phyſica ſupervacua eſt, & hæc Logica; in Ethica vero, quæ ſola neceſſaria eſt, philoſophi erraverunt, qui ſummum bonum nullo modo invenire potuerunt. Inanis igitur & inutilis omnis Philoſophia reperitur, quæ nec rationem hominis comprehendere, nec officium potuit munusque complere.

---

## CAPUT XXXVI.

*De Philoſophis, ſcilicet Epicuro & Pythagora.*

Quoniam de Philoſophia dixi breviter, nunc etiam de philoſophis pauca dicam. Epicuri doctrina hæc eſt, imprimis nullam eſſe providentiam. Et idem Deos eſſe non abnuit. Utrumque contra rationem. Nam ſi ſunt Dii; eſt igitur providentia. Aliter enim Deus intelligi non poteſt, cujus eſt proprium providere. Nihil, inquit, curat. Ergo non modo humana, ſed ne cœleſtia quidem curat. Quomodo igitur, aut unde eſſe illum affirmas? Excluſa enim providentia curaque divina, conſequens erat ut non eſſe omnino Deum diceres. Nunc eum verbo reliquiſti, re ſuſtuliſti. Unde ergo rerum natura eſt,

ſi Deus

ſi Deus nihil curat. Semina, inquit, ſunt minuta, quæ nec videri, nec tangi poſſunt, quorum coitu fortuito & orta ſunt omnia, & ſemper oriuntur. Si nec videntur, nec ulla corporis parte ſentiuntur, unde eſſe illa ſcire potuiſti? Deinde ſi ſunt, qua mente conveniunt, ut aliquid efficiant? Si ſunt lævia, cohærere non poſſunt; ſi hamata & angulata, ergo ſecabilia ſunt. Hami enim, & anguli extant & poſſunt amputari. Sed hæc delira & inutilia. Quid quod idem animas extinguibiles facit; quem refellunt non modo philoſophi omnes & publica perſuaſio, verum etiam reſponſa vatum, carmina Sibyllarum, ipſæ denique divinæ voces Prophetarum, ut mirum ſit extitiſſe unum Epicurum, qui cum pecoribus ac belluis ſortem hominis æquaret.

Quid Pythagoras? qui primus eſt philoſophus nominatus; qui animas quidem immortales eſſe, in alia tamen corpora, vel pecudum, vel avium, vel beſtiarum commeare ſtatuit. Nonne ſatius fuerat eas cum ſuis corporibus extingui, quam ſic ad aliena damnari; ſatius omnino non eſſe, quam poſt hominis formam, vel ſuem, vel canem vivere? Et homo ineptus, ut fidem dicto adderet, ſeipſum Trojano bello Euphorbum fuiſſe dixit, quo occiſo, in alias figuras animalium tranſiiſſe, poſtremo Pythagoram factum. O felicem, cui ſoli tanta memoria conceſſa eſt! vel potius infelicem, cui translato in pecudem non licuit neſcire, quid fuerit! Atque utinam ſolus deliraſſet! Invenit etiam, qui crederent, & quidem indoctos homines, ad quos ſtultitiæ tranſiret hæreditas.

## CAPUT XXXVII.

*De Socrate, ac ejus contradictione.*

Poſt hunc Socrates Philoſophiæ tenuit principatum, ſapientiſſimus etiam oraculo dictus, quia ſe fatebatur unum ſcire, quod nihil ſciret. Cujus Oraculi autoritate abſtinere ſe phyſicos oportebat, ne aut quærerent ea, quæ ſcire non poterant, aut ſcire ſe putarent, quæ ignorabant. Videamus tamen an ſapientiſſimus Socrates, ſicut Pythius prædicavit. Uſurpabat hoc ſæpe proverbium, quod ſupra nos, nihil ad nos pertinere. Jam exceſſit ſententiæ ſuæ terminos. Nam, qui unum ſe ſcire dicebat, aliud invenit quod tanquam ſciens diceret; ſed id fruſtra. Nam & Deus, qui utique ſupra nos eſt, & Religio ſuſcipienda, quæ ſola nos diſcernit a belluis: quam quidem Socrates non modo repudiavit, verum etiam deriſit, per anſerem canemque jurando; quaſi vero per Æſculapium non poſſet, cui voverat gallum? En ſapientis viri ſacrificium. Et quia eum proſecrare ipſe non potuit, amicos moriturus oravit, ut poſt ſe ſolverent votum, ſcilicet ne apud inferos velut debitor teneretur. Hic profecto & pronuntiavit, quod nihil ſcierit, & probavit.

## CAPUT XXXVIII.

*De Platone, cujus doctrina ad veritatem propius accedit.*

Hujus auditor Plato, quem Deum philoſophorum Tullius nominat; qui ſolus omnium ſic philoſophatus eſt, ut ad veritatem propius accederet; tamen quia Deum ignoravit, in multis ita lapſus eſt, ut nemo deterius erraverit, imprimis quod in libris

civi-

civilibus omnia omnibus voluit eſſe communia. De patrimoniis tolerabile eſt, licet ſit injuſtum. Nec enim aut obeſſe cuiquam debet, ſi ſua induſtria plus habet, aut prodeſſe, ſi ſua culpa minus. Sed, ut dixi, poteſt aliquo modo ferri. Etiamne conjuges, etiamne liberi communes erunt? Non erit ſanguinis ulla diſtinctio, nec genus certum, nec familiæ, nec cognationes, nec affinitates; ſed ſicut in gregibus pecudum confuſa & indiſcreta omnia, nulla erit in viris continentia, nulla in fœminis pudicitia? Quis eſſe in utrisque amor conjugalis poteſt, in quibus non eſt certus aut proprius affectus? Quis erit in patrem pius, ignorans unde ſit natus? Quis filium diliget, quem putabit alienum? Quin etiam fœminis curiam reſervavit, militiam, & magiſtratus, & imperia permiſit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt? Sed hæc alias latius.

Zeno Stoicorum magiſter, qui virtutem laudat, miſericordiam, quæ ſumma eſt virtus, tanquam morbum animi amputandam judicavit, quæ & Deo cara eſt, & hominibus neceſſaria. Quis eſt enim, qui aliquo in malo conſtitutus nolit eſſe miſerabilis, ac non deſideret auxilia ſuccurrentium, quæ ad opem ferendam non niſi miſericordiæ affectu excitantur. Hanc ille licet humanitatem, licet pietatem vocet, non rem, ſed nomen immutat. Hic eſt affectus, qui ſoli homini datus eſt, ut imbecillitatem noſtram mutuis adjumentis levaremus; quem qui tollit, ad vitam nos redigit belluarum. Nam, quod dicit paria eſſe peccata, ex eadem immanitate eſt, qua miſericordiam veluti morbum inſectatur. Qui enim nullam facit differentiam delictorum, aut levia magnis ſuppliciis afficienda cenſet, quod eſt crudelis judicis, aut gravia parvis; quod eſt diſſoluti, utrumque reipublicæ incommodum. Si enim ſumma ſcelera leviter punian-

tur, audacia malis creſcet ad facinora majora; & ſi levibus delictis pœna gravior irrogetur, multi cives, quoniam nemo eſſe ſine delicto poteſt, in periculum venient, qui correpti poſſent eſſe meliores.

---

## CAPUT XXXIX.

*De variis Philoſophis, ac de Antipodis.*

Illa vero levia. Sed ex eadem vanitate naſcuntur. Xenophanes orbem lunæ decem & octo partibus dixit eſſe majorem, quam hæc noſtra ſit terra. Itaque intra ſinum ejus aliam terram contineri, quæ ab hominibus & omnis generis animalibus incolatur. De Antipodis quoque ſine riſu nec audiri, nec dici poteſt. Aſſeritur tamen quaſi aliquid ſerium, ut credamus eſſe homines, qui veſtigiis noſtris habent adverſa veſtigia. Tolerabilius Anaxagoras deliravit, qui nigram nivem dixit. Quorundam non modo dicta, ſed etiam facta ridenda ſunt. Democritus agrum ſuum a patre ſibi relictum deſeruit, & paſcua publica fieri paſſus eſt. Diogenes cum choro canum ſuorum, qui virtutem illam ſummam & exactam rerum omnium contemtum profitetur, mendicare victum maluit, quam honeſto labore conquirere, aut habere ullam rem familiarem. Certe vita ſapientis exemplum eſſe vivendi cæteris debet. Si horum ſapientiam omnes imitentur, quomodo ſtabunt civitates? Sed forſitan iidem Cynici exemplum verecundiæ præbere potuerunt, qui palam cum conjugibus ſuis cubitaverunt. Neſcio quam poſſent virtutem defendere, qui pudorem ſuſtulerunt.

Non melior his Ariſtippus, qui, credo, ut amiculæ ſuæ Laidi placeret, Cyrenaicam inſtituit diſciplinam, qua ſummi boni finem in voluptate corporis

collo-

collocavit, ne aut peccatis autoritas, aut vitiis doctrina deeſſet. An illi fortiores magis ſunt probandi, qui ut mortem contemſiſſe dicerentur, voluntariam necem ſibi intulerunt? Zeno, Empedocles, Chryſippus, Cleanthes, Democritus, & hos imitatus Cato, neſcierunt homicidii crimine teneri ſecundum jus legemque divinam eum, qui ſe interfecerit. Deus enim nos in hoc domicilium carnis induxit; ille nobis temporale corporis habitaculum dedit, ut incolamus, quamdiu idem voluerit. Nefas igitur habendum eſt, ſine Dei juſſu velle migrare. Non eſt ergo vis adhibenda naturæ. Scit ille quemadmodum opus ſuum reſolvat. Cui operi ſi quis manus impias adhibuerit, ac divini opificii vincula diruperit, Deum conatur effugere, cujus ſententiam nec vivus quiſquam, nec mortuus poterit evadere. Scelerati ergo ſunt & nefarii, quos ſuperius nominavi, qui etiam docuerunt, quas cauſas habere debeat mors voluntaria; ut parum ſit ſceleris, quod homicidæ in ſemetipſos extiterunt, niſi ad hoc nefas & alios erudirent.

---

## CAPUT XL.

*De Philoſophorum inſipientia.*

Innumerabilia ſunt philoſophorum dicta factaque, quibus eorum inſipientia redargui poſſit. Itaque quoniam cuncta enumerare non poſſumus, pauca ſufſecerint. Satis eſt intelligi, philoſophos neque juſtitiæ, quam ignorabant, neque virtutis, quam mentiuntur, eſſe doctores. Quid enim doceant, qui ſuam ſæpe ignorantiam confitentur? Mitto Socratem, cujus eſt nota ſententia. Anaxagoras omnia circumfuſa tenebris eſſe pronuntiat. Empedocles

anguſtas ad inveniendam veritatem ſenſuum ſemitas eſſe. Democritus in profundo quodam puteo demerſam veritatem jacere teſtatur, quam quia nusquam reperiunt, idcirco adfirmant neminem adhuc extitiſſe ſapientem. Quoniam igitur nulla eſt, apud Platonem Socrates dicit, humana ſapientia, ſequamur ergo divinam, Deoque gratias agamus, qui eam nobis, & revelavit, & tradidit, ac nobis gratulemur, quod veritatem ac ſapientiam cœleſti beneficio tenemus, quam tot ingeniis, tot ætatibus requiſitam philoſophiam nemo potuit invenire.

---

## CAPUT XLI.

*De vera Religione ac ſapientia.*

Nunc quoniam falſam religionem, quæ eſt in Deorum cultibus, & falſam ſapientiam, quæ eſt in philoſophis, refutavimus, ad veram Religionem ſapientiamque veniamus. Et quidem conjuncte, quia cohærent, de utraque dicendum eſt. Nam Deum verum colere, id eſt, nec aliud quidquam, quam ſapientiam. Ille enim ſummus & conditor rerum Deus eſt, qui hominem velut ſimulacrum ſuum fecit. Idcirco utique ſoli ex omnibus animalibus rationem dedit, ut honorem ſibi tanquam patri, & tanquam Domino referret, & hac pietate atque obſequio immortalitatis præmium mereretur. Hoc eſt verum divinumque myſterium. Illis autem, quia vera non ſunt, nulla concordia. Neque in Philoſophia ſacra celebrantur, neque in ſacris Philoſophia tractatur; & ideo falſa Religio eſt, quia non habet ſapientiam, ideo falſa ſapientia, quia non habet Religionem. Ubi autem utraque ſunt, ibi eſſe veritatem neceſſe eſt, ut ſi quæratur ipſa veritas quid ſit, recte dici poſſit, aut ſapiens religio, aut religioſa ſapientia.

CAPUT

## CAPUT XLII.

*De ſapientia religioſa; Chriſti nomen nulli notum, niſi ipſi & Patri.*

Dicam nunc, quid ſit vel ſapiens religio, vel ſapientia religioſa. Deus in principio antequam mundum inſtitueret, de æternitatis ſuæ fonte, deque divino ac perenni ſpiritu ſuo filium ſibi ipſe progenuit, incorruptum, fidelem, virtuti ac majeſtati patriæ reſpondentem. Hic eſt virtus, hic ratio, hic ſermo Dei, hic ſapientia. Hoc opifice, ut Hermes ait, & conſiliatore, ut Sibylla, & præclaram & mirabilem hujus mundi fabricam machinatus eſt. Denique ex omnibus Angelis, quos idem Deus de ſuis ſpiritibus figuravit, ſolus in conſortium ſummæ poteſtatis adſcitus eſt, ſolus Deus nuncupatus. Omnia enim per ipſum, & ſine ipſo nihil. Denique Plato de primo ac ſecundo Deo non plane, ut philoſophus, ſed ut vates locutus eſt, fortaſſe in hoc Triſmegiſtum ſecutus, cujus verba de Græcis converſa ſubjeci: „Dominus & factor univerſorum, quem Deum vocari exiſtimavimus, ſecundum fecit Deum viſibilem & ſenſibilem. Senſibilem autem dico, non quod ipſe ſenſum accipiat, ſed quod in ſenſum mittat & viſum. Cum ergo hunc feciſſet primum, & ſolum, & unum, optimus ei apparuit, & pleniſſimus omnium bonorum. Sibylla quoque Deum dicit ducem omnium a Deo factum; & alia, Deum Dei filium eſſe noſcendum,“ ſicut ea, quæ in libris poſui, exempla declarant. Hunc Prophetæ divino ſpiritu pleni prædicaverunt; quorum præcipue Salomon in libro Sapientiæ, item pater ejus cœleſtium ſcriptor hymnorum, ambo clariſſimi Reges, qui trojani belli tempora CLXXX. annis ante ceſſerunt, hunc ex Deo natum eſſe teſtantur. Hujus nomen nulli eſſe notum, niſi ipſi & Patri, ſi-

cut docet Johannes in Revelatione. Hermes ait non poſſe nomen ejus mortali ore proferri. Ab hominibus tamen duobus vocabulis nuncupatur, Jeſus, quod eſt Salvator, & Chriſtus, quod eſt Rex. Salvator ideo, quia eſt ſanatio & ſalus omnium, qui per eum credunt in Deum. Chriſtus ideo, quia ipſe de cœlo in ſeculi hujus conſummatione venturus eſt, ut judicet mundum, & reſurrectione mortuorum facta, regnum ſibi conſtituat æternum.

---

## CAPUT XLIII.

*De Jeſu Chriſti nomine, & duplici nativitate.*

Sed ne qua forte ſit apud te hæſitatio, cur eum, qui ante mundum ex Deo natus ſit, Jeſum Chriſtum appellemus, qui ante annos ccc. natus ex homine eſt, rationem tibi breviter exponam. Idem eſt Dei & hominis filius. Bis enim natus eſt. Primum de Deo in ſpiritu ante ortum mundi, poſtmodum in carne ex homine, Auguſto imperante; cujus rei præclarum & grande myſterium eſt, in quo & ſalus hominum, & Religio ſummi Dei, & omnis veritas continetur. Nam cum primum ſcelerati atque impii Deorum cultus per inſidias dæmonum irrepſerunt, tum penes ſolos Hebræos Religio Dei manſit, qui tamen non lege aliqua, ſed traditum ſibi per ſucceſſionem cultum patrio more tenuerunt usque ad id tempus, quo de Ægypto exierunt, Moyſe duce, primo omnium prophetarum, per quem illis lex eſt a Deo impoſita, qui Judæi ſunt poſtmodum nominati. Servierunt igitur Deo vinculis legis obſtricti. Sed iidem paulatim ad profanos ritus aberrantes, alienos Deos ſuſceperunt, & derelicto patrio cultu, inſenſilibus ſimulacris immolaverunt. Propterea Deus Prophe-

Prophetas ad eos miſit divino Spiritus adimpletos, qui illis peccata exprobrarent, & pœnitentiam indicerent, qui ſecuturam ultionem minarentur, ac denuntiarent futurum, ſi in iisdem delictis perſeveraſſent, ut alium mitteret novæ legis latorem, & ingrato populo ab hæreditate ſummoto, aliam ſibi plebem fideliorem de exteris gentibus congregaret. Illi autem non modo perſeverarunt, verum etiam eos ipſos, qui mittebantur, interfecerunt. Itaque damnavit eos ob hæc facinora, nec adjecit ulterius Prophetas mittere ad populum contumacem; ſed filium ſuum miſit, ut gentes univerſas ad gratiam Dei convocaret. Nec illos tamen, licet impios & ingratos, ab ſpe ſalutis excluſit: ſed ad ipſos potiſſimum miſit, ut ſi forte paruiſſent, non amitterent quod acceperant; ſi autem Deum ſuum non ſuſcepiſſent, tum hæredibus abdicatis, gentes in adoptionem venirent. Juſſit igitur eum ſummus pater deſcendere in terram, & humanum corpus induere, ut ſubjectus paſſionibus carnis, virtutem ac patientiam non ſolum verbis, ſed etiam factis doceret. Renatus eſt ergo ex virgine ſine Patre, tanquam homo; ut quemadmodum in prima nativitate ſpiritali creatus, & ex ſolo Deo ſanctus Spiritus factus eſt, ſic in ſecunda carnali ex ſola matre genitus, caro ſancta fieret, ut per eum caro, quæ ſubjecta peccato fuerat, ab interitu liberaretur.

## CAPUT XLIV.

*Duplex Chriſti nativitas ex Prophetis probatur.*

Hæc ſic futura, ut expoſui, Prophetæ ante prædixerant. Apud Salomonem ita ſcriptum eſt: Infirmatus eſt uterus virginis, & accepit fœtum,

„ & gravata eſt, & facta eſt in multa miſeratione ma„ter virgo.“ Apud Eſaiam ſic: „Ecce virgo ac„cipiet in uterum, & pariet filium, & vocabitis no„men ejus Emmanuel,“ quod ſignificat nobiſcum Deus. Fuit enim nobiſcum in terra, cum induit carnem; & nihilominus Deus fuit in homine, & homo in Deo. Utrumque autem fuiſſe a Prophetis ante prædictum eſt. Quod Deus fuerit, Eſaias ita dicit: „Adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in „te Deus eſt, & nos neſciebamus, Deus Iſrael. „Confundentur & reverebuntur omnes, qui adverſan„tur tibi, & cadent in confuſionem.“ Item Jeremias: „Hic Deus noſter eſt, & non deputabitur alius „absque illo, qui invenit omnem viam prudentiæ „& dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi: „Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus con„verſatus eſt.“ Item, quod homo fuerit, idem Jeremias dicit: „Et homo eſt, & quis cognovit „eum?“ Eſaias quoque ſic tradit: „Et mittet eis „Dominus hominem, qui ſalvabit eos, & judicans, „ſanabit eos.“ Item Moyſes ipſe in Numeris: „Orietur ſtella ex Jacob, & exurget homo ex „Iſrael.“ Idcirco igitur cum Deus eſſet, ſuſcepit carnem, ut inter Deum & hominem medius factus, hominem ad Deum magiſterio ſuo ſuperata morte perduceret.

## CAPUT XLV.

*Chriſti virtus & opera probantur ex Scripturis.*

Diximus de nativitate; nunc de virtute operibusque dicamus: quæ cum magna inter homines ac mirabilia faceret, videntes illa Judæi, magica potentia fieri putabant, ignorantes ea omnia, quæ fiebant

ab

ab eo, prædicta eſſe a Prophetis. Ægros & vario morborum genere languentes non medela aliqua, ſed vi ac poteſtate verbi ſui protinus roborabat, debiles reſanabat, claudos ad greſſum erigebat, cæcis viſum reſtituebat, mutis eloquium dabat, ſurdos inauribat, pollutos maculatosque purgabat, furiatis dæmonum incurſu mentem propriam reponebat, mortuos aut jam ſepultos ad vitam lucemque revocabat. Idem quinque millia hominum quinque panibus & duobus piſcibus ſaturavit. Idem ſupra mare ambulavit. Idem in tempeſtate præcepit vento, ut conquieſceret, ſtatimque tranquillitas facta eſt: quæ omnia, & in Prophetarum libris, & in carminibus Sibyllinis prædicta invenimus.

Ob hæc miracula cum ad eum magna concurreret multitudo, &, ut erat, Dei filium, & a Deo miſſum crederet, repleti invidia Sacerdotes ac principes Judæorum, ſimul ira concitati, quod eorum peccata & injuſtitiam coarguebat, coierunt ut eum occiderent. Quod futurum ante annos mille paulo amplius Salomon in Sapientia pronuntiaverat his verbis: „ Circumveniamus juſtum, quoniam inſuavis eſt „ nobis, & exprobrat nobis peccata legis. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum; gravis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & mutatæ ſunt viæ illius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo. Continet ſe a viis noſtris, quaſi ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur patrem Dominum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus, quæ ventura ſunt illi. Contumeliis & tormentis interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt. Excæcavit enim

„ illos

„ illos ſtultitia eorum, & neſcierunt ſacramenta „ Dei.“

Harum igitur litterarum immemores, quas legebant, incitaverunt populum tanquam adverſus impium, ut eum comprehenſum ad judicium ducerent, mortemque ejus impiis vocibus flagitarent. Intentabant autem pro crimine id ipſum, quod ſe Dei filium diceret, & quod legem ſolveret, curando homines in Sabbato, quam ille ſe non ſolvere, ſed implere dicebat. Cumque Pontius Pilatus, qui tum legatus in Syria judicabat, perſpiceret cauſam illam ad officium Romani Judicis non pertinere, miſit eum ad Herodem Tetrarcham, permiſitque Judæis, ut ipſi legis ſuæ diſceptatores eſſent: qui accepta ſceleris poteſtate, addixerunt eum cruci, ſed prius flagellis & palmis verberaverunt, ſpinis coronaverunt, faciem conſpuerunt, in cibum & potum dederunt ei fel & acetum; & inter hæc nulla vox ejus audita eſt. Tunc carnifices ſortiti de tunica ejus & pallio, ſuſpenderunt eum patibulo atque adfixerunt, cum poſtridie Paſcha, id eſt, feſtum diem ſuum celebraturi eſſent. Quod facinus prodigia ſecuta ſunt, ut intelligerent nefas quod admiſerant. Eodem namque momento, quo ſpiritum poſuit, & terræ motus magnus, & deliquium ſolis fuit, ut in noctem dies verteretur.

## CAPUT XLVI.

*Probatur ex Prophetis, Paſſionem ac mortem Chriſti prænuntiatam fuiſſe.*

Quæ omnia Prophetæ ſic futura eſſe prædixerant. Eſaias ita dicit: „ Non ſum contumax, neque „ contradico: dorſum meum poſui ad flagella, & ma„ xillas meas ad palmas; faciem autem meam non

„ averti

„averti a fœditate ſputorum.“ Idem de ſilentio: „Sicut ovis ad immolandum adductus ſum, & ſicut „agnus coram tondentibus ſine voce, ſic non ape„ruit os ſuum.“ Item David in Pſalmo XXXIV. „Congregata ſunt in me flagella, & ignoraverunt: „diſſoluti ſunt, nec compuncti ſunt; tentaverunt „me, & ſtriderunt ſuper me dentibus ſuis.“ Idem de cibo & potu, Pſalmo LXVIII. „Et dederunt in „eſcam meam fel, & in ſiti mea potum mihi dede„runt acetum.“ Item de cruce Chriſti: „Et fo„derunt manus meas & pedes meos, dinumerave„runt omnia oſſa mea: ipſi autem contemplati ſunt, „& viderunt me; diviſerunt veſtimenta mea ſibi, „& ſuper veſtem meam ſortem miſerunt.“ Moyſes in Deuteronomio: „Et erit pendens vita tua „ante oculos tuos, & timebis die & nocte, & non „credes vitæ tuæ.“ Item in Numeris: „Non quaſi „homo Dominus ſuſpenditur, neque quaſi filius ho„minis minas patitur.“ Item Zacharias: „Et in„tuebuntur in me, quem transfixerunt.“

De ſolis obſcuratione Amos ita dicit: „In illo „die, dicit Dominus, occidet ſol meridie, & ob„tenebrabitur dies lucis; & convertam dies feſtos „veſtros in luctum, & cantica veſtra in lamentatio„nem.“ Item Jeremias de civitate Hieroſolyma, in qua paſſus eſt: „Et ſubivit ſol ei, cum adhuc „medius dies eſſet, confuſa eſt & maledicta, reli„quos eorum in gladium dabo.“ Nec fruſtra hæc dicta ſunt. Siquidem poſt breve tempus imperator Veſpaſianus Judæos debellavit, & terras eorum ferro igniquе depopulatus eſt, obſeſſos fame ſubegit, Hieroſolymam evertit, captivos triumphavit, cæteris, qui reliqui fuerunt, terris ſuis interdixit, ne quando iis ad ſolum patrium reverti liceret. Quæ a Deo, propter illam Chriſti crucem facta ſunt; ut hoc in ſcripturis eorum Salomon ante teſtatus ſit, dicens:

„Et

„ Et erit Iſrael in perditionem, & in improperium „ populo, & domus hæc erit deſerta, & omnis qui „ tranſiet per illam, admirabitur, & dicet: Propter „ quam rem Deus fecit terræ huic, & huic domui hæc „ mala? & dicent, quia dereliquerunt Dominum „ Deum ſuum, & perſecuti ſunt Regem ſuum dile-„ ctiſſimum Deo, & cruciaverunt illum in humilitate „ magna; pro hoc importavit illis Deus mala hæc.“ Quid enim non mererentur, qui Dominum, qui ad ſalutem ipſorum venerat, peremerunt?

---

## CAPUT XLVII.

*De Jeſu Chriſti reſurrectione, Apoſtolorum miſſione, ſervatoriſque in cœlum Aſcenſione.*

Poſt hæc detractum patibulo corpus monumento condiderunt. Verum tertio die ante lucem, terræ motu facto, ac revoluto lapide, quo ſepulcrum clauſerant, reſurrexit. In ſepulcro autem nihil, niſi exuviæ corporis ſunt repertæ. Ipſum vero reſurrecturum die tertio jam olim Prophetæ fuerant prælocuti. David in Pſalmo xv. „ Non derelinques animam „ meam ad inferos, nec dabis ſanctum tuum videre „ corruptionem.“ Item Oſee: „ Hic eſt filius meus „ ſapiens: propter quod nunc non reſiſtet in contri-„ bulatione filiorum ſuorum, & de manu inferorum „ eruam eum. Ubi eſt judicium tuum, mors, ubi „ eſt aculeus tuus?“ Idem rurſus: „ Vivificabit nos „ poſt biduum die tertio.“

Profectus igitur in Galilæam poſt reſurrectionem, diſcipulos ſuos rurſus, quos metus in fugam verterat, congregavit: datiſque mandatis quæ obſervari vellet, & ordinata Evangelii prædicatione per totum orbem, inſpiravit in eos Spiritum ſanctum, ac dedit

dedit eis poteſtatem mirabilia faciendi, ut in ſalutem hominum, tam factis, quam verbis operarentur; ac tum demum quadrageſimo die remeavit ad Patrem, ſublatus in nubem. Hoc Daniel Propheta jampridem oſtenderat, dicens: „Videbam in viſu noctis: „& ecce in nubibus cœli ut filius hominis veniens us„que ad antiquum dierum pervenit; & qui aſſiſte„bant, obtulerunt eum; & datum eſt ei regnum, „honor, & imperium; & omnes populi, tribus & „linguæ ſervient ei; & poteſtas ejus æterna, quæ „nunquam tranſibit, & regnum ejus non corrumpe„tur.“ Item David in Pſalmo CIX. „Dixit Domi„nus Domino meo: ſede ad dexteram meam, do„nec ponam inimicos tuos ſubpedaneum pedum „tuorum.“

---

## CAPUT XLVIII.

*De Judæorum exhæredatione, & Gentilium adoptione.*

Cum igitur ad dexteram Dei ſedeat, calcaturus inimicos ſuos, qui eum cruciaverunt, quando ad judicandum orbem venerit, apparet nullam ſpem reliquam eſſe Judæis, niſi converſi ad pœnitentiam, & a ſanguine, quo ſe polluerunt, abluti, ſperare in eum cœperint, quem negaverunt. Ideo ſic dicit Heſdra: „Hoc Paſcha Salvator noſter eſt, & refu„gium noſtrum. Cogitate, & aſcendat in cor ve„ſtrum, quoniam habemus humiliare eum in ſigno, „& poſt hæc ſperavimus in eum.“

Exhæredatos autem eſſe Judæos, quia Chriſtum reprobaverunt, & nos, qui ſumus ex Gentibus, in eorum locum adoptatos, ſcripturis adprobatur. Jeremias ita dicit: „Dereliqui domum meam: dimiſi „hæreditatem meam in manus inimicorum ejus. Facta

„eſt

„ eſt hæreditas mea mihi, ſicut leo in ſylva: dedit „ ipſa ſuper me vocem ſuam; idcirco odivi eam." Item Malachias: „ Non eſt mihi voluntas circa vos, „ dicit Dominus, & ſacrificium acceptum non habebo „ ex manibus veſtris, quia a ſolis ortu usque ad oc„ caſum clarificabitur nomen meum apud Gentes." Eſaias quoque ſic: „ Venio colligere omnes gentes „ & linguas; & venient, & videbunt claritatem „ meam." Idem alio loco ex perſona Patris ad filium: „ Ego Dominus Deus vocavi te in juſtitiam, „ & tenebo manum tuam, & confirmabo te in teſta„ mentum generis mei, in lucem gentium, aperire „ oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, „ & de domo carceris ſedentes in tenebris."

## CAPUT XLIX.

*Quod Deus non eſt, niſi unus.*

Si ergo Judæi a Deo rejecti ſunt, ſicut ſacrarum Scripturarum fides indicat, Gentes autem, ſicut videmus, adſcitæ, ac de tenebris hujus vitæ ſecularis, deque vinculis dæmonum liberatæ; nulla igitur alia ſpes homini propoſita eſt, niſi veram Religionem veramque ſapientiam, quæ in Chriſto eſt, fuerit ſecutus: quem qui ignorat, a veritate ac Deo ſemper alienus eſt. Nec ſibi de ſummo Deo, vel Judæi, vel philoſophi blandiantur. Qui Filium non agnovit, nec Patrem potuit agnoſcere. Hæc eſt ſapientia, & hoc myſterium ſummi Dei. Per illum ſe Deus, & agnoſci, & coli voluit. Ideo Prophetas ante præmiſit, qui de adventu ejus prædicarent, ut cum facta eſſent in eo quæcumque prædicata ſunt, tunc ab hominibus, & Dei Filius, & Deus crederetur.

Nec

Nec tamen ſic habendum eſt, tanquam duo ſint Dii. Pater enim ac Filius unum ſunt. Cum enim Pater Filium diligat; omniaque ei tribuat, & Filius Patri fideliter obſequatur, nec velit quidquam, niſi quod Pater, non poteſt utique neceſſitudo tanta divelli, ut duo eſſe dicantur, in quibus, & ſubſtantia, & voluntas, & fides una eſt. Ergo & Filius per Patrem, & Pater per filium. Unus eſt honos utrique tribuendus, tamquam uni Deo, & ita dividendus eſt per duos cultus, ut diviſio ipſa compage inſeparabili vinciatur. Neutrum ſibi relinquet, qui aut Patrem a Filio, aut Filium a Patre ſecernit.

## CAPUT L.

*Cur Deus humanum corpus aſſumpſit, ac mortem paſſus fuit.*

Supereſt reſpondere etiam iis, qui putant inconveniens fuiſſe, nec habere rationem, ut Deus mortali corpore indueretur, ut hominibus ſubjectus eſſet, ut contumelias ſuſtineret, cruciatus etiam mortemque pateretur. Dicam quod ſentio, & rem immenſam paucis, ut potero, ſubſtringam. Qui aliquid docet, debet, ut opinor, facere ipſe quæ docet, ut cogat homines obtemperare. Nam ſi non fecerit, præceptis ſuis fidem derogabit. Exemplis igitur opus eſt, ut ea, quæ præcipiuntur, habeant firmitatem, & ſi quis cuntumax extiterit, ac dixerit non poſſe fieri, præceptor illum præſenti opere convincat. Non poteſt ergo perfecta eſſe doctrina, cum verbis tantum traditur: ſed tum perfecta eſt, cum factis adimpletur.

Chriſtus itaque cum doctor virtutis ad homines mitteretur, utique ut doctrina ejus perfecta eſſet, &

docere & facere debuerat. Sed, ſi corpus hominis non induiſſet, non potuiſſet facere, quæ docebat; id eſt, non iraſci, non cupere divitias, non libidine inflammari, dolorem non timere, mortem contemnere. Hæc ſunt utique virtutes: ſed fieri ſine carne non poſſunt. Ergo ideo corporatus eſt, ut cum vincenda eſſe carnis deſideria doceret, ipſe faceret prior, ne quis excuſationem de carnis fragilitate prætenderet.

---

## CAPUT LI.

*De Chriſti morte in cruce.*

Dicam nunc de ſacramento crucis, ne quis forte dicat: ſi ſuſcipienda illi mors fuerat, non utique infamis ac turpis, ſed quæ haberet aliquid honeſtatis. Scio equidem multos, dum abhorrent nomen crucis, refugere a veritate, cum in ea, & ratio magna ſit & poteſtas. Nam cum ad hoc miſſus eſſet, ut humillimis quibusque viam panderet ad ſalutem, ſe ipſe humilem fecit, ut eos liberaret. Suſcepit ergo id genus mortis, quod ſolet humilibus irrogari, ut omnibus facultas daretur imitandi. Præterea cum eſſet reſurrecturus, amputari partem corporis ejus fas non erat, nec os infringi, quod accidit iis qui capite plectuntur. Crux ergo potior fuit, quæ reſurrectioni corpus integris oſſibus reſervavit.

His etiam illud accedit, quod paſſione ac morte ſuſcepta, ſublimem fieri oportebat. Adeo illum crux, & re & ſignificatione exaltavit, ut omnibus majeſtas ejus ac virtus cum ipſa paſſione notuerit. Nam quod extendit in patibulo manus, utique alas ſuas in Orientem Occidentemque porrexit, ſub quas univerſæ nationes ab utraque mundi parte ad requiem convenirent. Quantum autem valeat hoc ſignum,

&

& quid habeat poteſtatis, in promptu eſt, cum omnis dæmonum cohors hoc ſigno expellitur ac fugatur. Et ſicut ipſe ante paſſionem dæmonas verbo & imperio proturbabat, ſic nunc nomine ac ſigno paſſionis ejusdem ſpiritus immundi quando in corpora hominum irrepſerunt, exiguntur, cum extorti & excruciati, ac ſe dæmonas confitentes, verberanti ſe Deo cedunt. Quid ergo ſperaverint de ſuis religionibus cumque ſua ſapientia Græci, cum videant, Deos ſuos, quos eosdem, dæmonas eſſe non negant, per crucem ab hominibus triumphari.

## CAPUT LII.

*Spes ſalutis hominum in veri Dei agnitione, & de odio Ethnicorum in Chriſtianos.*

Una igitur ſpes hominibus vita eſt, unus portus ſalutis, unum refugium libertatis, ſi abjectis, quibus tenebantur, erroribus, aperiant oculos mentis ſuæ, Deumque cognoſcant, in quo ſolo domicilium veritatis eſt, terrena & de terra ficta contemnant, Philoſophiam, quæ apud Deum ſtultitia eſt, pro nihilo computent, & vera ſapientia, id eſt, religione ſuſcepta, fiant immortalitatis hæredes.

Atenim repugnant, non tam veritati, quam propriæ ſaluti; cumque hæc audiunt, velut aliquod inexpiabile nefas deteſtantur. Sed ne audire quidem patiuntur; violari aures ſuas ſacrilegio putant. Si audierint, nec jam maledictis abſtinent, ſed quantis poſſunt, verborum contumeliis inſectantur: iidemque ſi poteſtatem nacti fuerint, velut hoſtes publicos perſequuntur, imo etiam plus quam hoſtes, quorum, cum bello victi fuerint, aut mors, aut ſervitus pœna eſt; nec ullus poſt arma depoſita cruciatus,

quamvis omnia pati meruerint, qui facile voluerunt, ut inter mucrones locum pietas haberet.

Inaudita eſt crudelitas cum innocentia, nec victorum hoſtium conditionem meretur. Quæ tanta hujus furoris eſt cauſa? Scilicet quia ratione congredi non queunt, violentia premunt, & incognita cauſa tanquam nocentiſſimos damnant, qui conſtare de ipſa innocentia noluerunt. Nec ſatis putant, ſi celeri ac ſimplici morte moriantur, quos irrationabiliter oderunt: ſed eos exquiſitis cruciatibus lacerant, ut expleant odium, quod non peccatum aliquod, ſed veritas parit, quæ idcirco male viventibus odioſa eſt, quia ægre ferunt eſſe aliquos, quibus facta eorum placere non poſſunt. Hos omni modo cupiunt extinguere, ut poſſint libere ſine teſte peccare.

## CAPUT LIII.

*Rationes odii in Chriſtianos expenduntur, & refelluntur.*

Sed hæc facere ſe dicunt, ut Deos ſuos defendant. Primum ſi Dii ſunt, & habent aliquid poteſtatis ac numinis, defenſione hominis patrocinioque non indigent, ſed ſeipſos utique defendunt. Aut quomodo ab iis homo ſperare auxilium poteſt, ſi ne ſuas quidem injurias poſſunt vindicare? Stultum igitur & vanum, Deorum eſſe vindices velle; niſi quod ex eo magis apparet diffidentia. Qui enim patrocinium Dei quem colit, ſuſcipit, illum eſſe nihil confitetur: ſi autem ideo colit, quia potentem arbitratur, non debet eum velle defendere, a quo ipſe eſt defendendus. Nos igitur recte. Nam cum iſti defenſores falſorum Deorum adverſus verum Deum rebelles, nomen

men ejus in nobis perſequuntur, nec re, nec verbo repugnamus; ſed mites, & taciti, & patientes perferimus omnia quæcumque adverſus nos poteſt crudelitas machinari. Habemus enim fiduciam in Deo, a quo expectamus ſecuturam protinus ultionem. Nec eſt inanis iſta fiducia: ſiquidem eorum omnium, qui hoc facinus auſi ſunt, miſerabiles exitus partim cognovimus, patim videmus. Nec ullus habuit impune, quod Deum læſit; & qui ſit verus Deus, qui verbo diſcere noluit, ſupplicio ſuo didicit.

Vellem ſcire, cum invitos adigunt ad ſacrificium, quid ſecum habeant rationis, aut cui præſtent, quod faciunt. Si Diis, non eſt ille cultus, nec acceptabile ſacrificium, quod fit ingratis, quod extorquetur per injuriam, quod eruitur per dolorem. Si autem ipſis, quos cogunt, non eſt utique beneficium, quod quis ne accipiat, etiam mori mavult. Si bonum non eſt, ad quod me vocas? cur malo invitas? cur non verbis, ſed verberibus, cur non ratione, ſed cruciatibus corporis? Unde apparet malum eſſe illud, ad quod non illicis volentem, ſed trahis recuſantem. Quæ ſtultitia eſt, conſulere velle nolenti? An ſi aliquis, prementibus malis, ad mortem confugere conatur, num potes, ſi aut gladium extorſeris, aut laqueum ruperis, aut præcipitio retraxeris, aut venenum effuderis, conſervatorem te hominis gloriari, cum ille, quem ſervaſſe te putas, nec gratias agat, & te male ſecum arbitretur egiſſe, quod mortem ſibi prohibueris optatam, quod ad finem, quod ad requiem malorum pervenire non ſinueris? Beneficium enim non ex qualitate rei debet, ſed ex animo ejus, qui accipit, ponderari. Cur pro beneficio imputes, quod mihi maleficium eſt? Vis me Deos tuos colere, quod ego mihi mortiferum duco. Si bonum eſt, non invideo. Fruere ſolus bono tuo. Non eſt quod velis errori meo ſuccurrere, quem judicio ac voluntate

 ſuſcepi.

ſuſcepi. Si malum, quid me ad conſortium mali rapis? Utere ſorte tua. Ego malo in bono mori, quam in malo vivere.

## CAPUT LIV.

*De Religionis libertate in adorando Deo.*

Hæc quidem juſte dici poſſunt. Sed quis audiet, cum homines furioſi & impotentes minui dominationem ſuam putent, ſi fit aliquid in rebus humanis liberum? Atqui Religio ſola eſt, in qua libertas domicilium collocavit. Res eſt enim præter cæteras voluntaria, nec imponi cuiquam neceſſitas poteſt, ut colat, quod non vult. Poteſt aliquis forſitan ſimulare; non poteſt velle. Denique cum metu tormentorum aliqui, aut cruciatibus victi ad exeeranda ſacrificia conſenſerint, nunquam ultro faciunt, quod neceſſitate fecerunt: ſed data rurſus facultate, ac reddita libertate, referunt ſe ad Deum, eumque precibus & lachrymis placant, agentes non voluntatis, quam non habuerunt, ſed neceſſitatis, quam pertulerunt, pœnitentiam; & venia ſatisfacientibus non negatur. Quid ergo promovet, qui corpus inquinat, quando immutare non poteſt voluntatem?

Atenim homines inanis cerebri, ſi quem fortem adegerint libare Diis ſuis, incredibili alacritate inſolenter exultant, & quaſi hoſtem ſub jugum miſerint, gaudent. Si vero aliquis, nec minis, nec tormentis territus, fidem vitæ anteferre maluerit, in hunc ingenium ſuum crudelitas exerit, infanda & intolerabilia molitur; & quia ſciunt, glorioſam eſſe pro Deo mortem, & hanc nobis eſſe victoriam, ſi ſuperatis tortoribus animam pro fide ac Religione ponamus, & ipſi enituntur, ut vincant. Non affi-

ciunt

ciunt morte: ſed excogitant novos inauditosque cruciatus, ut fragilitas viſcerum doloribus cedat; & ſi non ceſſerit, differunt, adhibentque vulneribus curam diligentem, ut crudis adhuc cicatricibus, repetita tormenta plus doloris immittant: & hanc adverſus innocentes carnificinam exercentes, pios utique ſe, & juſtos, & religioſos putant, (talibus enim ſacris Deorum delectantur) illos vero impios & deſperatos nuncupant. Quæ iſta eſt perverſitas, ut qui torquetur innocens, deſperatus atque impius nominetur, carnifex autem juſtus piusque dicatur?

## CAPUT LV.

*Ethnici juſtitiam in ſequendo Deo crimine impietatis infamant.*

Sed recte ac merito puniri eos aiunt, qui publicas Religiones a majoribus traditas execrantur. Quid ſi majores illi ſtulti fuerunt in ſuſcipiendis Religionibus vanis, ſicut jam ſupra oſtendimus, præſcribetur nobis quominus vera & meliora ſectemur? Cur nobis auferimus libertatem, ſed quaſi addicti alienis ſervimus erroribus? Liceat ſapere, liceat inquirere veritatem. Sed tamen, ſi libet majorum defendere (ſtultitiam) cur impune habent Ægyptii, qui pecudes, & omnis generis beſtias pro Diis colunt? cur de Diis ipſis aguntur, & qui eos facetius deriſerit, honoratur? Cur audiuntur philoſophi, qui aut nullos Deos eſſe aiunt, aut ſi ſunt, nihil curare, nec humana reſpicere, aut nullam eſſe omnino, quæ regat mundum, providentiam differunt?

Sed ſoli ex omnibus impii judicantur, qui Deum, qui veritatem ſequuntur. Quæ cum ſit eadem juſtitia, eadem ſapientia, hanc iſti vel impietatis, vel

ſtultitiæ crimine infamant; nec perſpiciunt, quid ſit, quod eos fallat, cum & malo vocabulum boni, & bono mali nomen imponunt. Primuli quidem philoſophorum, ſed maxime Plato & Ariſtoteles, de juſtitia multa dixerunt, aſſerentes & extollentes eam ſumma laude virtutem, quod ſuum cuique tribuat, quod æquitatem in omnibus ſervet; & cum cæteræ virtutes quaſi tacitæ ſint, & intus incluſæ, ſolam eſſe juſtitiam, quæ nec ſibi tantum conciliata ſit, nec occulta, ſed foras tota promineat, & ad bene faciendum prona ſit, ut quam plurimis proſit: quaſi vero in judicibus ſolis, atque in poteſtate aliqua conſtitutis juſtitia eſſe debeat, & non in omnibus.

Atqui nullus eſt hominum, ne infirmorum quidem ac mendicorum, in quem juſtitia cadere non poſſit. Sed quia ignorabant, quid eſſet, unde proflueret, quid operis haberet, ſummam illam virtutem, id eſt, commune omnium bonum paucis tribuerunt, eamque nullas utilitates proprias aucupari, ſed alienis tantum commodis ſtudere dixerunt. Nec immerito extitit Carneades, homo ſummo ingenio & acumine, qui refelleret iſtorum orationem, & juſtitiam, quæ fundamentum ſtabile non habebat, everteret; non quia vituperandam eſſe juſtitiam ſentiebat, ſed ut illos defenſores ejus oſtenderet nihil certi, nihil firmi de juſtitia diſputare.

---

## CAPUT LVI.

### *De Juſtitia, quæ eſt veri Dei Cultus.*

Nam ſi juſtitia eſt veri Dei cultus, (quid enim tam juſtum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam neceſſarium ad ſalutem, quam Deum agnoſcere ut parentem, venerari ut Dominum, ejusque legi

&

& præceptis obtemperare?) neſcierunt ergo juſtitiam philoſophi, quia nec ipſum Deum agnoverunt, nec cultum ejus legemque tenuerunt; & ideo refelli potuerunt a Carneade, cujus hæc fuit diſputatio, nullum eſſe jus naturale, itaque omnes animantes, ipſa ducente natura, commoda ſua defendere, & ide juſtitiam, ſi alienis utilitatibus conſulit, ſuas negligit, ſtultitiam eſſe dicendam. Quod ſi omnes populi, penes quos ſit imperium, ipſique Romani, qui orbem totum poſſederint, juſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere, quod vi & armis occupaverunt, ad caſas & egeſtatem revertentur. Quod ſi fecerint, juſtos quidem, ſed tamen ſtultos judicari neceſſe eſt, qui ut aliis proſint, ſibi nocere contendant. Deinde, ſi reperiat aliquis hominem, qui aut aurum pro aurichalco, aut argentum pro plumbo vendat per errorem, atque id emere neceſſitas cogat, utrum diſſimulabit, & emet parvo, an potius indicabit? Si indicabit; juſtus utique dicetur, quia non fefellit; ſed idem ſtultus, qui alteri fecerit lucrum, ſibi damnum. Sed facile de damno eſt. Quid, ſi vita ejus in periculum veniet, ut eum neceſſe ſit, aut occidere, aut mori, quid faciet? Poteſt hoc evenire, ut naufragio fracto, inveniat aliquem imbecillem tabulæ inhærentem; aut victo exercitu fugiens, reperiat aliquem vulneratum equo inſidentem: utrumne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipſe poſſit evadere? Si volet juſtus eſſe, non faciet: Sed idem ſtultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, ſuam prodit. Si faciet, ſapiens quidem videbitur, quia ſibi conſulet; ſed idem malus, quia nocebit.

---

## CAPUT LVII.

*De Sapientia & Stultitia.*

Acuta iſta ſane: ſed reſpondere ad ea facillime poſſumus. Imitatio enim nominum facit, ut ſic eſſe videatur. Nam & juſtitia imaginem habet ſtultitiæ, non tamen eſt ſtultitia; & malitia imaginem ſapientiæ, non tamen ſapientia eſt. Sed ſicut malitia iſta in conſervandis utilitatibus ſuis intelligens & arguta, non ſapientia, ſed calliditas & aſtutia eſt; ita & juſtitia non debet ſtultitia, ſed innocentia nominari: quia neceſſe eſt, & juſtum eſſe ſapientem, & eum qui ſit ſtultus, injuſtum. Nam neque ratio, neque natura ipſa permittit, ut is qui juſtus eſt, ſapiens non ſit; quoniam juſtus nihil utique facit, niſi quod rectum & bonum eſt, pravum & malum ſemper fugit. Quis autem diſcernere bonum & malum, pravum & rectum poteſt, niſi qui ſapiens fuerit? Stultus autem male facit, quia bonum & malum quid ſit, ignorat. Ideo peccat, quia non poteſt prava & recta diſcernere. Non poteſt ergo, neque ſtulto juſtitia, neque injuſto ſapientia convenire. Stultus igitur non eſt, qui nec tabula naufragum, nec equo ſaucium dejecerit, quia ſe abſtinuit a nocendo, quod eſt peccatum; peccatum autem vitare ſapientis eſt.

Sed ut ſtultus prima facie videatur, illa res efficit, quod extingui animam cum corpore exiſtimant: idcirco omne commodum ad hanc vitam referunt. Si enim poſt mortem nihil eſt, utique ſtulte facit, qui alterius animæ parcit cum diſpendio ſuæ, aut qui alterius lucro magis quam ſuo conſulit. Si mors animam delet, danda eſt opera, quo diutius commodiusque vivamus: ſi autem vita poſt mortem ſupereſt æter-

æterna & beata, hanc utique corporalem cum omnibus terræ bonis juſtus & ſapiens contemnet, quia ſciet, quale a Deo ſit præmium recepturus. Teneamus igitur innocentiam; teneamus juſtitiam, ſubeamus imaginem ſtultitiæ, ut veram ſapientiam tenere poſſimus. Et ſi hominibus ineptum videtur ac ſtultum, torqueri & mori malle, quam libare Diis, & abire ſine noxa, nos tamen omni virtute omnique patientia fidem Deo exhibere nitamur. Non mors terreat, non dolor frangat, quominus vigor animi, & conſtantia inconcuſſa ſervetur. Stultos vocent, dummodo ipſi ſint ſtultiſſimi, & cæci, & hebetes, & pecudibus æquales; qui non intelligunt eſſe mortiferum, relicto Deo vivo, proſternere ſe atque adorare terrena; qui neſciunt, & illos æternam pœnam manere, qui figmenta inſenſibilia fuerint venerati, & eos, qui nec tormenta, nec mortem pro cultu & honore veri Dei recuſaverint, vitam perpetuam conſecuturos. Hæc eſt fides ſumma, hæc vera ſapientia, hæc perfecta juſtitia. Nihil ad nos attinet, quid judicent ſtulti, quid homunculi ſentiant. Nos judicium Dei expectare debemus, ut eos poſtmodum, qui de nobis judicaverint, judicemus.

---

## CAPUT LVIII.

*De vero cultu Dei & ſacrificio.*

Dixi de juſtitia, quid eſſet. Sequitur ut oſtendam, quod ſit verum ſacrificium Dei, qui ſit juſtiſſimus ritus colendi, ne quis arbitretur, aut victimas, aut odores, aut dona pretioſa deſiderari a Deo, a quo ſi fames, ſi ſitis, ſi algor, ſi rerum omnium terrenarum cupiditas abeſt, non ergo utitur his omnibus, quæ templis diisque fictilibus inferuntur; ſed ſicut

corpo-

corporalibus corporalia, ſic utique in corporali incorporale ſacrificium neceſſarium eſt. Illis autem, quæ in uſum tribuit homini Deus, ipſe non indiget, cum omnis terra in ipſius ſit poteſtate: non indiget templo, cujus domicilium mundus eſt; non indiget ſimulacro, qui eſt & oculis, & mente incomprehenſibilis; non indiget terrenis luminibus, qui ſolem cum cæteris aſtris in uſum hominis potuit accendere. Quid igitur ab homine deſiderat Deus, niſi cultum mentis, qui eſt purus & ſanctus? Nam illa, quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem ſunt, inepta, fragilia, ingrata ſunt. Hoc eſt ſacrificium verum, non quod ex arca, ſed quod ex corde profertur, non quod manu, ſed quod mente libatur. Hæc acceptabilis victima eſt, quam de ſeipſo animus immolat. Nam quid hoſtiæ? quid thura? quid veſtes? quid argentum? quid aurum? quid pretioſi lapides conferunt, ſi colentis pura mens non eſt? Sola ergo juſtitia eſt, quam Deus expetit. In hac ſacrificium, in hac Dei cultus eſt, de quo nunc mihi diſſerendum eſt, docendumque, in quibus operibus juſtitiam neceſſe ſit contineri.

---

## CAPUT LIX.

*De viis vitæ, & primis mundi temporibus.*

Duas eſſe humanæ vitæ vias, nec philoſophis ignotum fuit, nec poetis: ſed eas utrique diverſo modo induxerunt. Philoſophi alteram induſtriæ, alteram inertiæ eſſe voluerunt: ſed hoc minus recte, quod eas ad ſola vitæ hujus commoda retulerunt. Melius poetæ, qui alteram juſtorum, alteram impiorum eſſe dixerunt. Sed in eo peccant, quod eas non in hac vita, ſed apud infe-

ros

roſ eſſe aiunt. Nos utique rectius, qui alteram vitæ, alteram mortis, & hic tamen eſſe has vias dicimus. Sed illa dexterior, qua juſti gradiuntur, non in Elyſium fert, ſed in cœlum. Immortales enim fiunt. Siniſterior ad tartarum; æternis enim cruciatibus addicuntur injuſti. Tenenda eſt igitur nobis juſtitiæ via, quæ ducit ad vitam. Primum autem juſtitiæ officium eſt, Deum agnoſcere ut parentem, eumque metuere ut Dominum, diligere ut patrem. Idem enim nos genuit, qui vitali ſpiritu animavit, qui alit, qui ſalvos facit. Habet in nos non modo ut pater, verum etiam ut Dominus licentiam verberandi, & vitæ ac necis poteſtatem; unde illi ab homine duplex honos, id eſt, amor cum timore debetur. Secundum juſtitiæ officium eſt, hominem agnoſcere velut fratrem. Si enim nos idem Deus fecit, & univerſos ad juſtitiam vitamque æternam pari conditione generavit, fraterna utique neceſſitudine cohæremus, quam qui non agnoſcit, injuſtus eſt. Sed origo hujus mali, quo ſocietas inter ſe hominum, quo neceſſitudinis vinculum diſſolutum eſt, ab ignoratione veri Dei naſcitur. Qui enim fontem illum benignitatis ignorat, bonus eſſe nullo pacto poteſt. Inde eſt, quod ex eo tempore, quo Dii multi conſecrari ab hominibus colique cœperunt, fugata eſt, ſicut poetæ ferunt, juſtitia. Sic diremptum eſt omne fœdus, dirempta ſocietas juris humani. Tum ſibi quisque conſulere, jus in viribus computare, nocere invicem, fraudibus aggredi, dolis circumſcribere, commoda ſua aliorum incommodis adaugere; non cognatis, non liberis, non parentibus parcere; ad necem hominum pocula temperare, obſidere cum ferro vias, maria infeſtare; libidini autem, quo furor duxerit, frena laxare; nihil denique ſancti habere, quod non cupiditas infanda violaret. Cum hæc fierent, tum leges ſibi homines condiderunt pro

uti-

utilitate communi, ut ſe interim tutos ab injuriis facerent. Sed metus legem, non ſcelera comprimebat, ſed licentiam ſubmovebat. Poterant enim leges delicta punire, conſcientiam munire non poterant. Ita quæ ante palam fiebant, clam fieri cœperunt. Circumſcribi etiam jura, ſiquidem ipſi præſides legum præmiis muneribusque corrupti, vel in remiſſionem malorum, vel in perniciem bonorum ſententias venditabant. His accedebant diſſenſiones, & bella, & mutuæ deprædationes, & oppreſſis legibus ſæviendi poteſtas licenter aſſumta.

---

## CAPUT LX.

### *De Juſtitiæ officiis.*

In hoc ſtatu cùm eſſent humanæ res, miſertus eſt noſtri Deus, revelavit ſe nobis & oſtendit; ut in ipſo religionem, fidem, caſtitatem, miſericordiam diſceremus; ut errore vitæ prioris abjecto, ſimul cum ipſo Deo noſmetipſos, quos impietas diſſociaverat, noſceremus, legemque divinam, quæ humana cum cœleſtibus copulat, tradente ipſo Domino, ſumeremus: qua lege univerſi, quibus irretiti fuimus, errores cum vanis & impiis ſuperſtitionibus tollerentur. Quid igitur homini debeamus, eadem illa lex divina præſcribit, quæ docet quidquid homini præſtiteris, Deo præſtari. Sed radix juſtitiæ, & omne fundamentum æquitatis eſt illud, ut ne facias ulli quod pati nolis; ſed alterius animum de tuo metiaris. Si acerbum eſt injuriam ferre, & qui eam fecerit, videtur injuſtus, transfer in alterius perſonam, quod de te ſentis, & in tuam, quod de altero judicas; & intelliges tam te injuſte facere, ſi alteri noceas, quam alterum, ſi tibi. Hæc ſi mente volvamus, innocentiam tenebimus,

in

in qua juſtitia velut primo gradu inſiſtit. Primum eſt enim non nocere; proximum, prodeſſe. Et ſicut in rudibus agris priusquam ſerere incipias, evulſis ſentibus, & omnibus ſtirpium radicibus amputatis, arva purganda ſunt; ſic de noſtris animis prius vitia detrahenda, & tunc demum virtutes inſerendæ, de quibus ſeminatæ per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.

---

## CAPUT LXI.

### *De affectibus.*

Tres affectus, vel ut ita dicam, tres furiæ ſunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes cient, & interdum cogunt ita delinquere, ut nec famæ, nec periculi ſui reſpectum habere permittant: ira quæ vindictam cupit; avaritia, quæ deſiderat opes; libido, quæ appetit voluptates. His vitiis ante omnia reſiſtendum eſt; hæ ſtirpes eruendæ, ut virtutes inſeri poſſint. Hos affectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant. Neutri eorum recte: quia neque in totum detrahi poſſunt, ſiquidem natura inſiti certam habent magnamque rationem; neque diminui, quoniam ſi mala ſunt, carendum eſt etiam temperatis & mediocribus, ſi bona, integris abutendum eſt. Nos vero, neque detrahendos, neque minuendos eſſe dicimus. Non enim per ſe mala ſunt, quæ Deus homini rationabiliter inſevit: ſed quum ſint utique natura bona, quoniam ad tuendam vitam ſunt attributa, male utendo fiunt mala; & ſicut fortitudo, ſi pro patria dimices, bonum eſt, ſi contra patriam, malum: ſic & affectus, ſi ad uſus bonos habeas, virtutes erunt, ſi ad malos, vitia dicentur. Ira igitur ad coercitionem peccato-

rum

rum, id eſt, ad regendam ſubjectorum diſciplinam data eſt a Deo, ut metus licentiam comprimat, & compeſcat audaciam. Sed qui terminos ejus ignorant, iraſcuntur paribus, aut etiam potioribus. Inde ad immania facinora proſilitur: inde ad cædes, inde ad bella conſurgitur. Cupiditas quoque ad deſideranda & conquirenda vitæ neceſſaria tributa eſt. Sed qui neſciunt fines ejus, inſatiabiliter opes congerere nituntur. Hinc venena, hinc circumſcriptiones, hinc falſa teſtamenta, hinc omnia fraudum genera eruperunt. Libidinis autem affectus ad procreandos liberos inſitus & innatus eſt: ſed qui limites ejus in animo non tenent, utuntur eo ad ſolam voluptatem. Inde illiciti amores, inde adulteria & ſtupra, inde omnes corruptelæ oriuntur. Redigendi ſunt ergo iſti affectus intra fines ſuos, & in viam rectam dirigendi, in qua etiamſi ſint vehementes, culpam tamen habere non poſſunt.

## CAPUT LXII.

*De voluptatibus ſenſuum coercendis.*

Cohibenda eſt ira, quum patimur injuriam, ut & malum comprimatur, quod ex certamine impendet, & ut duas maximas virtutes, innocentiam patientiamque teneamus. Avaritia frangatur, quum habemus, quod ſatis eſt. Quis enim furor eſt, in his coacervandis laborare, quæ aut latrocinio, aut proſcriptione, aut morte ad alios neceſſe ſit pervenire? Libido extra legitimum torum non evagetur, ſed creandis liberis ſerviat. Appetentia enim nimia voluptatis, & periculum parit, & infamiam generat, &, quod eſt maxime cavendum, mortem adquirit æternam. Nihil eſt tam inviſum Deo, quam mens inceſte

ceſta, & animus impurus. Nec hac ſola voluptate abſtinendum ſibi quis putet, quæ capitur ex fœminei corporis copulatione, ſed & cæteris voluptatibus ſenſuum reliquorum; quia & ipſæ ſunt vitioſæ, & ejusdem virtutis eſt eas contemnere. Oculorum voluptas percipitur ex rerum pulcritudine, aurium de vocibus canoris & ſuavibus, narium de odore jucundo, ſaporis de cibis dulcibus: quibus omnibus virtus repugnare fortiter debet, ne his illecebris irretitus animus, a cæleſtibus ad terrena, ab æternis ad temporalia, a vita immortali ad pœnam perpetuam deprimatur. In ſaporis & odoris voluptatibus hoc periculum eſt, quod trahere ad luxuriam poſſunt. Qui enim fuerit his deditus, aut non habebit ullam rem familiarem, aut, ſi habuerit, abſumet, & aget poſtmodum vitam deteſtabilem. Qui autem rapitur auditu, ut taceam de cantibus, qui ſenſus intimos ita ſæpe deliniunt, ut etiam ſtatum mentis furore perturbent, compoſitis certis orationibus, numeroſisque carminibus, aut argutis diſputationibus, ad impios cultus facile traducitur. Inde eſt, quod ſcriptis cœleſtibus, quia videntur incompta, non facile credunt, qui aut ipſi ſunt diſerti, aut diſerta legere malunt: non quærunt vera, ſed dulcia; imo illis hæc videntur eſſe veriſſima, quæ auribus blandiuntur. Ita reſpuunt veritatem, dum ſermonis ſuavitate capiuntur. Voluptas vero, quæ ſpectat ad viſum, multiformis eſt. Nam quæ percipitur ex rerum pretioſarum pulchritudine, avaritiam concitat, quæ aliena eſſe debet a ſapiente atque juſto: quæ autem capitur de ſpecie mulierum, in alteram rapit voluptatem, de qua jam ſuperius locuti ſumus.

## CAPUT LXIII.

*Spectacula eſſe potentiſſima ad corrumpendos animos.*

Supereſt de ſpectaculis dicere; quæ quoniam potentiora ſunt ad corrumpendos animos, vitanda ſapientibus, & cavenda ſunt totaliter, quod ad celebrandos Deorum honores inventa memorantur. Nam munerum editiones Saturni feſta ſunt. Scena Liberi patris eſt. Ludi vero Circenſes Neptuno dicati putantur, ut jam qui ſpectaculis intereſt, relicto Dei cultu, ad profanos ritus tranſiiſſe videatur. Sed ego de re malo dicere, quam de origine. Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo ſeveriſſimis legibus vita noſtra munitur; ideo bella execrabilia ſunt. Invenit tamen conſuetudo, quatenus homicidium ſine bello ac ſine legibus faciat, & hoc ſibi voluptas, quod ſcelus vindicavit. Quod ſi intereſſe homicidio, ſceleris conſcientia eſt, & eidem facinori ſpectator obſtrictus eſt, cui & admiſſor; ergo & in his gladiatorum cædibus non minus cruore profunditur, qui ſpectat, quam ille qui facit: nec poteſt eſſe immunis a ſanguine, qui voluit effundi, aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & favit, & præmium poſtulavit. Quid ſcena? num ſanctior? in qua comœdia de ſtupris & amoribus, tragœdia de inceſtis & parricidiis fabulatur. Hiſtrionum etiam impudici geſtus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas ſaltando exprimunt, docent. Nam mimus corruptelarum diſciplina eſt, in quo fiunt per imaginem, quæ pudenda ſunt, ut fiant ſine pudore, quæ vera ſunt. Spectant hæc adoleſcentes, quorum lubrica ætas, quæ frænari ac regi debet, ad vitia & peccata his imaginibus eruditur. Circus vero innocentior exiſtimatur: ſed major hic furor eſt; ſiquidem

dem mentes ſpectantium tanta efferuntur inſania, ut non modo in convitia, ſed etiam in rixas, & prælia, & contentiones ſæpe conſurgant. Fugienda igitur omnia ſpectacula, ut tranquillum mentis ſtatum tenere poſſimus. Renuntiandum noxiis voluptatibus, ne deliniti ſuavitate peſtifera, in mortis laqueos incidamus.

---

## CAPUT LXIV.

*Affectus ſunt domandi, & a vetitis abſtinendum.*

Placeat ſola virtus, cujus merces immortalis eſt, quum vicerit voluptatem. Superatis autem affectibus, & perdomitis voluptatibus, facilis in comprimendis cæteris labor eſt ei, qui ſit Dei veritatisque ſectator: non maledicet unquam, qui ſperavit a Deo benedictionem. Non pejerabit, ſed ne jurabit quidem, ne quando vel neceſſitate, vel conſuetudine in perjurium cadat. Nihil ſubdole, nihil diſſimulanter loquetur; neque abnegabit, quod ſpoponderit, neque promittet, quod facere non poſſit: non invidebit cuiquam, qui ſe ſuoque contentus ſit; nec detrahet, aut male alteri volet, in quem forſitan beneficia Dei proniora ſunt. Non furabitur, nec omnino quidquam concupiſcet alienum: non dabit in uſuram pecuniam, hoc eſt enim de alienis malis lucra captare, nec tamen negabit, ſi quem neceſſitas cogit mutuari. Non ſit aſper in filium, neque in ſervum: meminerit, quod & ipſe patrem habeat & dominum. Ita cum his aget, quemadmodum ſecum agi volet. Munera ſuperabundantia non accipiet a tenuioribus; nec enim juſtum eſt augeri patrimonia locupletum per damna miſerorum.

Vetus præceptum eſt, non occidere, quod non ſic accipi debet, tanquam jubeamur ab homicidio tan-

E 2 tum,

tum, quod etiam legibus publicis vindicatur, manus abſtinere. Sed hac juſſione interpoſita, nec verbo licebit periculum inferre, nec infantem necare aut exponere, nec ſeipſum voluntaria morte damnare. Item non adulterare: ſed hoc præcepto, non ſolum corrumpere alienum matrimonium prohibemur, quod etiam communi gentium jure damnatur, verum etiam proſtitutis corporibus abſtinere. Supra leges enim Dei lex eſt; ea quoque, quæ pro licitis habentur, vetat, ut juſtitiam conſummet. Ejusdem legis eſt, falſum teſtimonium non dicere, quod & ipſum latius patet. Nam ſi falſum teſtimonium mendacio nocet ei, contra quem dicitur, & fallit eum apud quem dicitur, nunquam igitur mentiendum eſt, quia mendacium ſemper aut fallit, aut nocet. Non eſt ergo vir juſtus, qui etiam ſine noxa in otioſo ſermone mentitur. Huic vero nec adulari licet, pernicioſa eſt enim ac deceptrix adulatio: ſed ubique cuſtodiet veritatem. Quæ licet ſit ad præſens inſuavis, tamen, quum fructus ejus atque utilitas apparuerit, non odium pariet, ut ait Poeta, ſed gratiam.

---

## CAPUT LXV.

*Præcepta eorum quæ jubentur & de miſericordia.*

Dixi de iis, quæ vetantur: dicam nunc breviter, quæ jubentur. Innocentiæ proxima eſt miſericordia. Illa enim malum non facit, hæc bonum operatur; illa inchoat juſtitiam, hæc complet. Nam, cum imbecillior ſit hominum natura quam cæterarum animantium, quas Deus & inſtructas ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figuravit, affectum nobis miſericordiæ dedit, ut omne præſidium vitæ noſtræ in mutuis auxiliis poneremus. Si enim ficti

ab

ab uno Deo, & orti ab uno homine, conſanguinitatis jure ſociamur, omnem igitur hominem diligere debemus. Itaque non tantum inferre injuriam non oportet, ſed ne illatam quidem vindicare, ut ſit in nobis perfecta innocentia. Et ideo jubet nos Deus etiam pro inimicis precem facere ſemper. Ergo animal commune atque conſors eſſe debemus, ut nos invicem præſtandis & accipiendis auxiliis muniamus. Multis enim caſibus & incommodis fragilitas noſtra ſubjecta eſt. Spera & tibi accidere poſſe, quod alteri videas accidiſſe.

Ita demum excitaberis ad opem ferendam, ſi ſumpſeris ejus animum, qui opem tuam in malis conſtitutus implorat. Si quis victu indiget, impertiamur; & ſi quis nudus occurrerit, veſtiamus; ſi quis a potentiore injuriam ſuſtinet, eruamus. Pateat domicilium noſtrum peregrinis vel indigentibus tecto. Pupillis defenſio, viduis tutela noſtra non deſit. Redimere ab hoſte captivos magnum miſericordiæ opus eſt, ægros pauperes viſere atque refovere. Inopes aut advenas, ſi obierint, non patiamur inſepultos jacere. Hæc ſunt opera, hæc officia miſericordiæ, quæ ſi quis obierit, verum & acceptum ſacrificium Deo immolabit. Hæc litabilior victima eſt apud Deum, qui non pecudis ſanguine, ſed hominis pietate placatur: quem Deus, quia juſtus eſt, ſua & ipſum lege, ſua & conditione proſequitur; miſeretur ejus, quem viderit miſericordem, inexorabilis eſt ei, quem precantibus cernit immitem. Ergo, ut hæc omnia, quæ Deo placent, facere poſſimus, contemnenda eſt pecunia, & ad cœleſtes transferenda theſauros, ubi nec fur effodiat, nec rubigo conſumat, nec tyrannus eripiat; ſed nobis ad æternam opulentiam, Deo cuſtode, ſervetur.

## CAPUT LXVI.

### *De fide in Religione, & de fortitudine.*

Fides quoque magna juſtitiæ pars eſt; quæ maxime a nobis, qui nomen fidei gerimus, conſervanda eſt, præcipue in Religione, quia Deus prior eſt & potior, quam homo. Et ſi eſtglorioſum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id eſt, pro homine ſuſcipere mortem, & qui hoc fecerit, diuturnam memoriam laudemque conſequitur; quanto magis pro Deo, qui poteſt æternam vitam pro temporali morte præſtare? Itaque quum inciderit ejusmodi neceſſitas, ut deſciſcere a Deo, atque ad ritus gentium tranſire cogamur, nullus nos metus, nullus terror inflectat, quominus traditam nobis fidem cuſtodiamus. Deus ſit ante oculos, ſit in corde, cujus interno auxilio dolorem viſcerum, & adhibita corpori tormenta ſuperemus. Nihil tunc aliud, quam vitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facile, etſi diſſipandi aut urendi artus fuerint, tolerabimus univerſa, quæ in nos tyrannicæ crudelitatis amentia molietur. Poſtremo ipſam mortem non inviti, aut timidi, ſed libentes & interriti ſubire nitamur, cum ſciamus quali apud Deum gloria ſimus functuri, triumphato ſeculo ad promiſſa venientes; quibus bonis, quanta beatitudine brevia hæc pœnarum mala, & hujus vitæ damna penſemus. Quod ſi facultas hujus gloriæ deerit, habebit fides etiam in pace mercedem.

Teneatur ergo in omnibus vitæ officiis, teneatur in matrimonio. Non enim ſatis eſt, ſi aut alieno toro, aut lupanari abſtineas. Qui habet conjugem, nihil quærat extrinſecus: ſed contentus ea ſola, caſti & inviolati cubilis ſacramenta cuſtodiat. Adulter enim Deo eſt perinde atque inceſtus, qui abjecto jugo,

jugo, vel in liberam, vel in ſervam peregrina voluptate luxuriat. Sed ſicut fœmina caſtitatis vinculis obligata eſt, ne alium concupiſcat: ita vir eadem lege teneatur, quoniam Deus virum & uxorem unius corporis compage ſolidavit. Ideo præcepit, non dimitti uxorem, niſi crimine adulterii revictam, ut nunquam conjugalis fœderis vinculum, niſi quod perfidia ruperit, reſolvatur. Illud quoque ad conſummandam pudicitiam jungitur, ut non modo peccatum abſit, verum etiam cogitatio. Pollui enim mentem quamvis inani cupiditate manifeſtum eſt; itaque juſtum hominem, quod ſit ſecus, nec facere oportere, nec velle. Purganda eſt igitur conſcientia, quam Deus pervidet, qui falli non poteſt. Emaculetur omni labe pectus, ut templum Dei eſſe poſſit, quod non auri, nec eboris nitor, ſed fidei & caſtitatis fulgor illuſtrat.

---

## CAPUT LXVII.

*De Pœnitentia, animæ immortalitate, & de Providentia.*

Sed hæc enim omnia difficilia ſunt homini, nec patitur conditio fragilitatis naturæ, eſſe quemquam ſine macula. Ultimum ergo remedium illud eſt, ut confugiamus ad pœnitentiam, quæ non minimum locum inter virtutes habet, quia ſui correctio eſt; ut quum forte aut re, aut verbo lapſi fuerimus, ſtatim reſipiſcamus, ac nos deliquiſſe fateamur, oremusque a Deo veniam, quam pro ſua miſericordia non negabit, niſi perſeverantibus in errore. Magnum eſt pœnitentiæ auxilium, magnum ſolatium. Illa eſt vulnerum peccatorumque ſanatio; illa ſpes, illa portus ſalutis: quam qui tollit, viam vitæ ſibi amputat,

putat, quia nemo eſſe tam juſtus poteſt, ut nunquam ſit ei pœnitentia neceſſaria. Nos vero, etiamſi nullum ſit peccatum, confiteri tamen debemus Deo, & pro delictis noſtris identidem deprecari, gratias agere etiam in malis. Hoc ſemper obſequium Domino deferamus. Humilitas enim cara & amabilis Deo eſt: qui quum magis ſuſcipiat peccatorem confitentem, quam juſtum ſuperbum, quanto magis juſtum ſuſcipiet confitentem, eumque in regnis cœleſtibus faciet pro humilitate ſublimem.

Hæc ſunt quæ debeat cultor Dei exhibere; hæ ſunt victimæ, hoc ſacrificium placabile: hic verus eſt cultus, quum homo mentis ſuæ pignora in aram Dei confert. Summa illa majeſtas hoc cultore lætatur: hunc ut filium ſuſcipit, eique donum immortalitatis impartitur; de qua nunc mihi diſſerendum eſt, & arguenda perſuaſio eorum, qui extingui animas cum corporibus arbitrantur. Qui quia nec Deum ſciebant, nec arcanum mundi proſpicere poterant, nec hominis quidem animæque rationem comprehenderunt. Quomodo enim poſſent ſequentia pervidere, qui ſummam non habebant? Negantes igitur eſſe ullam providentiam, utique Deum, qui fons & caput rerum eſt, negaverunt. Sequebatur ut ea quæ ſunt, aut ſemper fuiſſe dicerent, aut ſua ſponte eſſe nata, aut minutorum ſeminum conglobatione concreta.

Semper fuiſſe dici non poteſt, quod & eſt, & viſui ſubjacet; ipſum enim eſſe ſine aliquo initio non poteſt. Sua ſponte autem nihil naſci poteſt, quia nulla eſt ſine generante natura. Semina vero principalia quomodo eſſe potuerunt, quum & ſemina ex rebus oriantur, & viciſſim res ex ſeminibus? Nullum igitur ſemen eſt, quod originem non habet. Sic factum eſt, ut quum putarent mundum nulla providentia factum, ne hominem quidem putarint aliqua ra-

tione

tione generatum. Quod ſi nulla eſſet in fingendo homine ratio verſata, immortalem igitur animam eſſe non poſſe. Alii vero ex adverſo, & Deum eſſe unum, & ab eo mundum factum, & hominum cauſa eſſe factum, & animas eſſe immortales exiſtimaverunt. Sed quum ea ſenſerint, hujus tamen divini operis atque conſilii nec cauſas, nec rationes, nec exitus perſpexerunt, ut omne veritatis arcanum conſummarent, atque aliquo veluti fine concluderent. Sed quod illi facere non potuerunt, quia veritatem perpetuo non tenebant, nobis faciendum eſt, qui eam cognovimus, Deo annuntiante.

---

## CAPUT LXVIII.

### *De Mundo, Homine & Dei Providentia.*

Conſideremus igitur, quæ ratio fuerit hujus tanti tamque immenſi operis fabricandi. Fecit Deus mundum, ſicut Plato exiſtimavit: ſed cur fecerit, non oſtendit. Quia bonus, inquit, & invidens nulli, fecit quæ bona ſunt. Atqui videmus in rerum natura, & bona eſſe, & mala. Poteſt ergo exiſtere perverſus aliquis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus, & Platoni reſpondere: Imo quia malus eſt, fecit quæ mala ſunt. Quomodo illum redarguet? Si quæ bona ſunt, Deus fecit, unde igitur tanta mala eruperunt, quæ plerumque etiam prævalent bonis? In materia, inquit, continebantur. Bona igitur & mala, aut nihil, fecit Deus. Si bona tantum fecit, æterniora ſunt mala, quæ facta non ſunt, quam bona, quæ habuerunt exordium. Finem igitur habebunt, quæ aliquando cœperunt, & permanebunt, quæ ſemper fuerunt. Mala ergo potiora ſunt. Si autem potiora eſſe non poſſunt, ne æterniora quidem poſſunt. Ergo

aut utraque ſemper fuerunt, & Deus otioſus, aut utraque ex uno fonte fluxerunt. Et enim convenientius, ut Deus omnia fecerit potius quam nihil.

Ergo ſecundum ſententiam Platonis, idem Deus & bonus eſt, quia bona fecit, & malus, quia mala. Quod ſi fieri non poteſt, apparet non ideo factum eſſe a Deo mundum, quia bonum eſt mundus. Omnia enim complexus eſt bona & mala, nec fecit propter ſe quidquam, ſed propter aliud. Domus enim ædificatur, non ad hoc ſolum ut ſit domus, ſed ut ſuſcipiat & tueatur habitantem. Item navis fabricatur, non ad hoc ut navis videatur tantum, ſed ut in ea poſſint homines navigare. Vaſa item fiunt, non ut vaſa ſint ſolum, ſed ut capiant, quæ ſunt uſui neceſſaria. Sic & mundum Deus ad uſum aliquem fecerit neceſſe eſt. Stoici aiunt cauſa hominum factum eſſe, & recte. Homines enim fruuntur his omnibus bonis, quæ mundus in ſe continet. Sed ipſi homines cur facti ſint, aut quid in illis utilitatis habeat illa rerum fabricatrix providentia, non explicant.

Immortales eſſe animas idem Plato affirmat: ſed cur, aut quando, aut per quem immortalitatem aſſequantur, aut quodnam ſit omnino tantum illud myſterium; cur ii, qui ſunt immortales futuri, prius mortales naſcantur, deinde decurſo temporalis vitæ ſpatio, atque abjectis fragilium corporum exuviis, ad æternam illam beatitudinem transferantur, non comprehendit. Denique nec judicium Dei, nec diſcrimen juſti & injuſti explicavit: ſed animas, quæ ſe ſceleribus immerſerint, hactenus contemnari putavit, ut in pecudibus renaſcantur, & ita peccatorum ſuorum luere pœnas, donec rurſus ad figuras hominum revertantur; & hoc fieri ſemper, nec eſſe finem tranſmeandi. Ludum mihi neſcio quem inducit, ſomnio ſimilem, cui nec ratio ulla, nec Dei gubernatio, nec conſilium aliquod ineſſe videatur.

CAPUT

## CAPUT LXIX.

*Mundum propter hominem, & hominem propter Deum eſſe factum.*

Dicam nunc quæ ſit illa ſumma, quam ne ii quidem, qui vera dixerunt, collatis in unum cauſis atque rationibus connectere potuerunt. Factus a Deo mundus, ut homines naſcerentur: naſcuntur autem homines, ut Deum patrem agnoſcant, in quo eſt ſapientia; agnoſcunt, ut colant, in quo eſt juſtitia; colunt, ut mercedem immortalitatis accipiant; accipiunt immortalitatem, ut in æternum Deo ſerviant. Videsne, quemadmodum ſibi connexa ſint & prima cum mediis, & media cum extremis? Inſpiciamus ſingula, & videamus utrumne illis ratio quoque ſubſiſtat. Fecit ergo Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum diſtat a pecude. Quis cœlum ſuſpicit, niſi homo? quis ſolem, quis aſtra, quis omnia Dei opera miratur, niſi homo? Quis colit terram? quis ex ea fructum capit? Quis navigat mare? Quis piſces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in poteſtate, niſi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit, quia uſui hominis cuncta ceſſere.

Viderunt hoc philoſophi: ſed illud quod ſequitur, non viderunt, quod ipſum hominem propter ſe fecerit. Erat enim conſequens, & pium, & neceſſarium, ut quum hominis cauſa tanta opera molitus ſit, quum tantum illi honoris, tantum dederit poteſtatis, ut dominetur in mundo, & homo agnoſceret Deum tantorum beneficiorum autorem, qui & ipſum fecit mundum propter ipſum, eique cultum & honorem debitum redderet. Hic Plato aberravit; hic perdidit quam primum arripuerat, veritatem, quum de cultu

cultu ejus Dei, quem conditorem rerum ac parentem fatebatur, obticuit, nec intellexit hominem Deo pietatis vinculis eſſe religatum, unde ipſa Religio nominatur, & hoc eſſe ſolum, propter quod animæ immortales fiant. Senſit tamen æternas eſſe: ſed non per gradus ad eam ſententiam deſcendit. Amputatis enim mediis, incidit potius in veritatem, quaſi per abruptum aliquod præcipitium; nec ulterius progreſſus eſt, quoniam caſu, non ratione, verum invenerat. Colendus eſt igitur Deus, ut per Religionem, quæ eadem juſtitia eſt, accipiat homo a Deo immortalitatem, nec eſt ullum aliud præmium piæ mentis: quæ ſi eſt inviſibilis, non poteſt ab inviſibili Deo, niſi inviſibili mercede donari.

## CAPUT LXX.

*Animæ immortalitas confirmatur.*

Plurimis vero argumentis colligi poteſt, æternas eſſe animas. Plato ait, quod per ſeipſum ſemper movetur, neque principium motus habet, etiam finem non habere: animum autem hominis per ſe ſemper moveri, qui quia ſit ad cogitandum mobilis, ad inveniendum ſolers, ad percipiendum facilis, ad diſcendum capax, & quia præterita teneat, præſentia comprehendat, futura proſpiciat, multarumque rerum & artium ſcientiam complectatur, immortalem eſſe; ſiquidem nihil habeat in ſe terreni ponderis labe concretum. Præterea ex virtute ac voluptate intelligitur æternitas animæ. Voluptas omnibus eſt communis animalibus; virtus ſolius eſt hominis: illa vitioſa eſt, hæc honeſta; illa ſecundum naturam, hæc adverſa naturæ, niſi anima immortalis eſt. Virtus enim pro fide & pro juſtitia nec egeſtatem timet,

nec

nec exilium metuit, nec carcerem perhorreſcit, nec dolorem reformidat, nec mortem recuſat: quæ quia naturæ contraria ſunt, aut ſtultitia eſt virtus, ſi & commoda impedit, & vitæ nocet; aut ſi ſtultitia non eſt, ergo anima immortalis eſt, & ideo præſentia bona contemnit, quia ſunt alia potiora, quæ poſt diſſolutionem corporis ſui aſſequatur. Illud etiam maximum argumentum immortalitatis, quod Deum ſolus homo agnoſcit. In mutis nulla ſuſpicio Religionis eſt, quia terrena ſunt, in terramque proſtrata. Homo ideo rectus aſpicit cœlum, ut Deum quærat. Non poteſt igitur non eſſe immortalis, qui immortalem deſiderat. Non poteſt eſſe ſolubilis, qui cum Deo & vultu, & mente communis eſt. Denique cœleſti elemento, quod eſt ignis, homo ſolus utitur. Si enim lux per ignem, vita per lucem, apparet eum, qui uſum ignis habet, non eſſe mortalem, quoniam id illi proximum, id familiare eſt, ſine quo non poteſt, nec lux nec vita conſtare.

Sed quid argumentis colligimus æternas eſſe animas, quum habeamus teſtimonia divina? Id enim ſacræ litteræ ac voces Prophetarum docent. Quod ſi cui parum videtur, legat carmina Sibyllarum, Apollinis quoque Mileſii reſponſa conſideret; ut intelligat deliraſſe Democritum, & Epicurum, & Dicæarchum, qui ſoli omnium mortalium, quod eſt evidens, negaverunt. Confirmata immortalitate, ſupereſt docere, a quo, & quibus, & quomodo, & quando tribuatur? Quum certa & conſtituta divinitus tempora compleri cœperint, interitum & conſummationem rerum fieri neceſſe eſt, ut innovetur a Deo mundus. Id vero tempus in proximo eſt, quantum de numero annorum, deque ſignis, quæ prædicta ſunt a Prophetis, colligi poteſt. Sed quum ſint innumerabilia, quæ de fine ſæculi, & concluſione temporum dicta ſunt, ea ipſa quæ dicuntur, nuda po-

nenda

nenda ſunt, quoniam ut teſtimoniis utamur immenſum eſt. Si quis illa deſiderat, aut nobis minus credit, adeat ad ipſum ſacrarium cœleſtium litterarum, quarum fide inſtructior erraſſe Philoſophos ſentiat, qui aut æternum eſſe hunc mundum, aut infinita eſſe annorum millia putaverunt, ex quo fuerit inſtructus. Nondum enim ſex millia completa ſunt, quo numero conſummato, tunc demum malum omne tolletur, ut regnet ſola juſtitia. Quod quatenus eventurum ſit, paucis explicabo.

---

## CAPUT LXXI.

### *De poſtremis Temporibus.*

Hæc a Prophetis, ſed ut vatibus, futura dicuntur. Quum cœperit mundo finis ultimus propinquare, malitia invaleſcet, omnia vitiorum & fraudum genera crebreſcent, juſtitia interibit; fides, pax, miſericordia, pudor, veritas non erit, vis & audacia, prævalebit; nemo quidquam habebit, niſi male partum, manuque defenſum. Si qui erunt boni, prædæ ac ludibrio habebuntur. Nemo pietatem parentibus exhibebit, nemo infantis aut ſenis miſerebitur: avaritia & libido univerſa corrumpet. Erunt cædes & ſanguinis effuſiones. Erunt bella, non modo externa & finitima, verum etiam inteſtina. Civitates inter ſe belligerabunt: omnis ſexus & omnis ætas arma tractabunt. Non imperii dignitas conſervabitur, non militiæ diſciplina: ſed more latrocinii deprædatio & vaſtitas fiet. Regnum multiplicabitur, & decem viri occupabunt orbem, & partientur, & vorabunt; & exiſtet alius longe potentior ac nequior, qui tribus ex eo numero deletis, Aſiam poſſidebit, & cæteris qui in poteſtatem ſuam redactis & adſcitis, vexabit

omnem

omnem terram. Novas leges ſtatuet, veteres abrogabit; rempublicam ſuam faciet, nomen imperii ſedemque mutabit.

Tunc erit tempus infandum & execrabile, quo nemini libeat vivere. Denique in eum ſtatum res cadet, ut vivos lamentatio, mortuos gratulatio ſequatur. Civitates & oppida interibunt, modo ferro modo igni, modo terræ motibus crebris, modo aquarum inundatione, modo peſtilentia & fame. Terra nihil feret, aut frigoribus nimiis, aut caloribus ſterilis. Aqua omnis partim mutabitur in cruorem, partim amaritudine vitiabitur; ut nihil ſit nec ad cibos utile, nec ad potum ſalubre. His malis accedent etiam prodigia de cœlo, ne quid deſit hominibus ad timorem. Cometæ crebro apparebunt. Sol perpetuo ſqualore fuſcabitur. Luna ſanguine inficietur, nec amiſſæ lucis damna reparabit. Stellæ omnes decident; nec temporibus ſua ratio conſtabit hyeme atque æſtate confuſis. Tunc & annus, & menſis, & dies breviabitur. Et hanc eſſe mundi ſenectutem ac defectionem Triſmegiſtus elocutus eſt. Quæ cum venerit, adeſſe tempus ſciendum eſt, quo Deus ad commutandum ſeculum revertatur.

Inter hæc autem mala ſurget rex impius, non modo generi hominum, ſed etiam Deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet. Et tunc erunt lachrymæ juges, luctus & gemitus perpetes, & ad Deum caſſæ preces: nulla requies a formidine, nec ſomnus ad quietem. Dies cladem, nox metum ſemper augebit. Sic orbis terrarum pene ad ſolitudinem, certe ad raritatem hominum redigetur. Tunc & impius juſtos homines ac dicatos Deo perſequetur, & ſe coli jubebit ut Deum. Se enim dicet eſſe Chriſtum, cujus erit adverſarius. Ut credi ea poſſint, accipiet poteſtatem mirabilia faciendi: ut ignis deſcendat a cœlo; ut ſol deſi-

deſiſtat a curſu ſuo; ut imago, quam poſuerit, loquatur. Quibus prodigiis illiciet multos, ut adorent eum, ſignumque ejus in manu aut fronte ſuſcipiant. Et qui non adoraverit, ſignumque ſuſceperit, exquiſitis cruciatibus morietur. Ita fere duas partes exterminabit, tertia in deſertas ſolitudines fugiet. Sed ille vecors, ira implacabili furens, adducet exercitum, & obſidebit montem, quo juſti confugerint. Qui quum ſe viderint circumſeſſos, implorabunt auxilium Dei voce magna, & exaudiet eos, & mittet eis liberatorem.

## CAPUT LXXII.

*De Chriſto e cœlo deſcendente ad univérſale judicium, & de Regno Millenario.*

Tunc cœlum in tempeſtate patefiet, & deſcendet Chriſtus in virtute magna; & anteibit eum claritas ignea, & vis inæſtimabilis Angelorum; & extinguetur omnis illa multitudo impiorum, & torrentes ſanguinis current; & ipſe ductor effugiet, atque exercitu ſæpe reparato, quartum prælium faciet, quo captus cum cæteris omnibus tyrannis, tradetur exuſtioni. Sed & ipſe dæmonum princeps, autor & machinator malorum, catenis igneis alligatus, cuſtodiæ dabitur, ut pacem mundus accipiat, & ut vexata tot ſeculis terra requieſcat. Pace igitur parta, compreſſoque omni malo, Rex ille juſtus & victor judicium magnum de vivis & mortuis faciet ſuper terram: & viventibus quidem juſtis tradet in ſervitium gentes univerſas; mortuos autem ad æternam vitam ſuſcitabit, & in terra cum iis ipſe regnabit & condet ſanctam civitatem, & erit hoc regnum juſtorum mille annis. Per idem tempus, & ſtellæ candidiores erunt,

&

& claritas ſolis augebitur, & luna non patietur diminutionem. Tunc deſcendet a Deo pluvia benedictionis matutina & veſpertina, & omnem frugem terra ſine labore hominum procreabit. Stillabunt mella de rupibus, lactis & vini fontes exuberabunt. Beſtiæ depoſita feritate manſueſcent, lupus inter pecudes errabit innoxius, vitulus cum leone paſcetur, columba cum accipitre congregabitur, ſerpens virus non habebit, nullum animal vivet ex ſanguine. Omnibus enim Deus copioſum atque innocentem victum miniſtrabit.

Peractis vero mille annis, ac reſoluto dæmonum principe, rebellabunt gentes adverſus juſtos, & veniet innumerabilis multitudo ad expugnandam ſanctorum civitatem. Tunc fiet ultimum judicium Dei adverſus gentes. Concutiet enim a fundamentis ſuis terram, & corruent civitates, & pluet ſuper impios ignem cum ſulphure & grandine, & ardebunt, & ſe invicem trucidabunt. Juſti vero ſub terra pauliſper latebunt, donec perditio gentium fiat, & exibunt poſt diem tertium, & videbunt campos cadaveribus opertos. Tunc fiet terræ motus, & ſcindentur montes, & ſubſident valles in altitudinem profundam, & congerentur in eam corpora mortuorum, & vocabitur nomen ejus *πολυανδριον*. Poſt hæc renovabit Deus mundum, & transformabit juſtos in figuras Angelorum, ut immortalitatis veſte donati, ſerviant Deo in ſempiternum. Tunc etiam impii reſurgent, non ad vitam, ſed ad pœnam. Eos quoque, ſecunda reſurrectione facta, Deus excitabit, ut ad perpetua tormenta damnati, & æternis ignibus traditi, merita pro ſceleribus ſuis ſupplicia perſolvant.

## CAPUT LXXIII. *ſeu* EPILOGUS.

*Spes ſalutis in Dei Religione & Cultu.*

Quare quum hæc omnia vera & certa ſint, Prophetarum omnium conſona adnuntiatione prædicta, quum eadem Triſmegiſtus, eadem Hyſtaſpes, eadem Sibyllæ cecinerint, dubitari non poteſt, quin ſpes omnis vitæ ac ſalutis in ſola Dei Religione ſit poſita. Itaque niſi homo Chriſtum ſuſceperit, quem Deus ad liberationem miſit atque miſſurus eſt, niſi ſummum Deum per eum cognoverit, niſi mandata ejus legemque ſervaverit, in eas incidet pœnas, de quibus locuti ſumus. Proinde fragilia contemnenda ſunt, ut ſolida conſequamur; ſpernenda terrena, ut cœleſtibus honoremur; temporalia fugienda, ut ad æterna veniamus. Erudiat ſe quisque ad juſtitiam, formet ad continentiam, præparet ad agonem, inſtruat ad virtutem; ut ſi forte adverſarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibus a recto & bono divellatur: non ſe ſubſternat inſenſibilibus figmentis; ſed verum & ſolum Deum rectus agnoſcat: abjiciat voluptates, quarum illecebris anima ſublimis deprimitur ad terram: teneat innocentiam, proſit quamplurimis, incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, ut poſſit, Deo judice, pro virtutis ſuæ meritis, vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipiſci.

LACTAN-

# LACTANTII
## DE
# OPIFICIO DEI,
## VEL FORMATIONE HOMINIS.
## LIBER
## AD DEMETRIANUM AUDITOREM SUUM.

### *ANALYSIS.*

LIBER *de Opificio Dei* eruditus & lectu utiliſſimus eſt, hoc fine ab Autore conſcriptus, ut providentiam Dei ex miranda hominis ſtructura comprobaret. Partibus abſolvitur duabus; quarum *prima*, corporis humani anatomen Theologicam, *altera*, diſputationem de anima continet.

Prior pars rurſum duplex.

*Primum* enim diluit ea, quæ Epicurei contra providentiam afferebant; querebantur hominem nimis imbecillum & fragilem naſci, eumdemque morbis & immaturæ morti eſſe ſubjectum, *cap.* 2. 3. 4.

*Deinde* ſingula hominis membra inſpicit, & in iis divinæ providentiæ poteſtatem, quanta fuerit, oſtendit *a cap.* 5. *usque ad* 17.

*Reliquis tribus capitibus* de anima diſſerit, tandemque *cap.* 20. apoſtrophe ad Demetrianum inſtituta perorat. *Scultetus.*

## CAPUT PRIMUM.

*Proœmium & adhortatio ad Demetrianum.*

Quam minime ſim quietus, & in ſummis neceſſitatibus, ex hoc libello poteris exiſtimare; quem ad te rudibus pene verbis, prout ingenii mediocritas tulit, Demetriane, perſcripſi, ut quotidianum ſtudium meum & noſſes, & non deeſſem tibi, præceptor etiamnunc, ſed honeſtioris rei meliorisque doctrinæ. Nam ſi te in litteris, nihil aliud quam linguam inſtruentibus, auditorem ſatis ſtrenuum præbuiſti: quanto magis in his veris, & ad vitam pertinentibus, docilior eſſe debebis? Apud quem nunc profiteor, nulla me neceſſitate vel rei, vel temporis impediri, quominus aliquid excudam, quo philoſophi noſtræ ſectæ, quam tuemur, inſtructiores doctioresque in poſterum fiant; quamvis nunc male audiant, caſtigenturque vulgo, quod aliter quam ſapientibus convenit vivant, & vitia ſub obtentu nominis celent, quibus illos aut mederi oportuit, aut ea prorſus effugere, ut beatum atque incorruptum ſapientiæ nomen vita ipſa cum præceptis congruente præſtarent. Ego tamen, ut nos ipſos ſimul & cæteros inſtruam, nullum laborem recuſo. Neque enim poſſum oblviviſci mei, tum præſertim, cum maxime opus ſit meminiſſe; ſicut ne tu quidem tui, ut ſpero, & opto. Nam licet te publicæ rei neceſſitas a veris & juſtis operibus avertat: tamen fieri non poteſt, quin ſubinde in cœlum aſpiciat

——— *Mens ſibi conſcia recti.*

Ego quidem lætor omnia tibi, quæ pro bonis habentur, proſpere fluere; ſed ita, ſi nihil de ſtatu mentis immutent. Vereor enim ne paulatim conſuetudo,

tudo, & jucunditas earum rerum, ſicut fieri ſolet, in animum tuum repat. Ideoque te moneo,

— *Et repetens iterumque monebo,*

ne oblectamenta iſta terræ, pro magnis aut veris bonis habere te credas; quæ ſunt non tantum fallacia, quia dubia, verum etiam inſidioſa, quia dulcia. Nam ille collutator & adverſarius noſter ſcis quam ſit aſtutus, & idem ipſe violentus, ſicuti nunc videmus. Is hæc omnia, quæ illicere poſſunt, pro laqueis habet, & quidem tam ſubtilibus, ut oculos mentis effugiant, ne poſſint hominis proviſione vitari. Summa ergo prudentia eſt, pedetentim procedere; quoniam utrobique ſaluti inſidet, & offenſacula pedibus latenter opponit. Itaque res tuas proſperas, in quibus nunc agis, ſuadeo ut pro tua virtute aut contemnas, ſi potes, aut non magnopere mireris. Memento & veri parentis tui, & in qua civitate nomen dederis, & cujus ordinis fueris. Intelligis profecto quid loquar. Nec enim te ſuperbiæ arguo, cujus in te ne ſuſpicio quidem ulla eſt: ſed ea quæ dico, ad mentem referenda ſunt, non ad corpus, cujus omnis ratio ideo comparata eſt, ut animo tanquam Domino ſerviat, & regatur nutu ejus. Vas eſt quidem corpus quodammodo fictile, quo animus, id eſt homo ipſe verus continetur, & quidem non a Prometheo fictum, ut poetæ loquuntur, ſed a ſummo illo rerum conditore atque artifice Deo; cujus divinam providentiam perfectiſſimamque virtutem, nec ſenſu comprehendere, nec verbo enarrare poſſibile eſt.

Tentabo tamen, quoniam corporis & animi facta mentio eſt, utriusque rationem, quantum puſillitas intelligentiæ meæ pervidet, explicare. Quod officium hac de cauſa maxime ſuſcipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii ſingularis, in quarto de Republica libro, cum id facere tentaſſet, nihil prorſus

effecit; nam materiam late patentem anguſtis finibus terminavit, leviter ſumma quæque decerpens. Ac ne ulla eſſet excuſatio, cur eum locum non fuerit executus, ipſe teſtatus eſt, nec voluntatem ſibi defuiſſe, nec curam. In libro enim de Legibus primo; cum hoc idem ſummatim ſtringeret, ſic ait: „Hunc „locum ſatis, ut mihi videtur, in iis libris, quos le„giſtis, expreſſit Scipio.“ Poſtea tamen in libro de Natura Deorum ſecundo, hoc idem latius exequi conatus eſt. Sed quoniam ne ibi quidem ſatis expreſſit, aggrediar hoc munus, & ſumam mihi audacter explicandum, quod homo diſſertiſſimus pene omiſit intactum. Forſitan reprehendas, quod in rebus obſcuris coner aliquid diſputare; cum videas tanta temeritate homines extitiſſe, qui vulgo philoſophi nominantur, ut ea, quæ abſtruſa prorſus, atque abdita Deus eſſe voluit, ſcrutarentur, ac naturam rerum cœleſtium terrenarumque conquirerent, quæ a nobis longe remotæ, neque oculis contrectari, neque tangi manu, neque percipi ſenſibus poſſunt: & tamen de illarum omnium ratione ſic diſputant, ut ea, quæ afferunt, probata & cognita videri velint. Quid eſt tandem, cur nobis invidioſum quiſquam putet, ſi rationem corporis noſtri diſpicere & contemplari velimus? Quæ plane obſcura non eſt; quia ex ipſis membrorum officiis, & uſibus partium ſingularum, quanta vi providentiæ quidque factum ſit, intelligere nobis licet.

## CAPUT II.

*De generatione belluarum & hominis.*

Dedit enim homini artifex ille noſter ac parens Deus ſenſum atque rationem; ut ex eo appareret

ret nos ab eo eſſe generatos, quia ipſe intelligentia, ipſe ſenſus ac ratio eſt. Cæteris animantibus quoniam rationalem iſtam vim non attribuit, quemadmodum tamen vita eorum tutior eſſet, ante providit. Omnes enim ſuis ex ſe pilis texit, quo facilius poſſent vim pruinarum ac frigorum ſuſtinere. Singulis autem generibus, ad propulſandos impetus externos, ſua propria munimenta conſtituit; ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ ſunt imbecilliora, ſubtrahant ſe periculis pernicitate fugiendi, aut quæ ſimul, & viribus, & celeritate indigent, aſtu ſe protegant, aut latibulis ſepiant. Itaque alia eorum, vel plumis levibus in ſublime ſuspenſa ſunt, vel ſuffulta ungulis, vel inſtructa cornibus; quibusdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci ungues; nullique munimentum ad tutelam ſui deeſt.

Si qua vero in prædam majoribus cedunt, ne tamen ſtirps eorum funditus interiret, aut in ea ſunt relegata regione, ubi majora eſſe non poſſunt; aut acceperunt uberem generandi fœcunditatem, ut & beſtiis, quæ ſanguine aluntur, victus ſuppeteret ex illis, & illatam tamen cladem, ad conſervationem generis, multitudo ipſa ſuperaret. Hominem autem, ratione conceſſa, & virtute ſentiendi atque eloquendi data, eorum, quæ cæteris animantibus attributa ſunt, fecit expertem, quia ſapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegaſſet, ſtatuit nudum, & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione veſtiri. Ea vero ipſa, quæ mutis data, & homini denegata ſunt, quam mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non poteſt. Nam ſi in homine ferinos dentes, aut cornua, aut ungues, aut ungulas, aut caudam, aut varii coloris pilos addidiſſet; quis non ſentiat quam turpe animal eſſet futurum, ſicut muta, ſi nuda & inermia fingerentur?

 Qui-

Quibus ſi detrahas, vel naturalem ſui corporis veſtem, vel ea quibus ex ſe armantur, nec ſpecioſa poterunt eſſe, nec tuta; ut mirabiliter, ſi utilitatem cogites, inſtructa, ſi ſpeciem, ornata videantur: adeo miro modo conſentit utilitas cum decore.

Hominem vero, quem æternum animal atque immortalem fingebat, non forinſecus, ut cætera, ſed interius armavit; nec munimentum ejus in corpore, ſed in animo poſuit: quoniam ſupervacuum fuit, cum illi, quod erat maximum, tribuiſſet, corporalibus eum tegere munimentis; cum præſertim pulcritudinem humani corporis impedirent. Unde ego philoſophorum, qui Epicurum ſequuntur, amentiam ſoleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, ut oſtendant, nulla providentia inſtructum eſſe ac regi mundum; ſed originem rerum inſecabilibus ac ſolidis corporibus aſſignant, quorum fortuitis concurſionibus univerſa naſcantur, & nata ſint. Prætereo quæ ad ipſum mundum pertinentia vitio dant, in quo ridicule inſaniunt; id ſumo, quod ad rem, de qua nunc agimus, pertinet.

---

## CAPUT III.

*De conditione pecudum & hominis.*

Queruntur, hominem nimis imbecillum & fragilem naſci, quam cætera animalia naſcuntur; quæ ut ſunt edita ex utero, protinus in pedes ſuos erigi, & geſtire diſcurſibus, ſtatimque aeri tolerando idonea eſſe, quod in lucem naturalibus indumentis munita proceſſerint: hominem contra, nudum, & inermem, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miſerias projici & expelli; qui neque movere ſe loco, ubi effuſus eſt, poſſit,

nec

nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre; itaque naturam, non matrem eſſe humani generis, ſed novercam; quæ cum mutis tam liberaliter ſe geſſerit, hominem vero ſic effuderit, ut inops, & infirmus, & omni auxilio indigens, nihil aliud poſſit, quam fragilitatis ſuæ conditionem ploratu ac fletibus ſuis ominari: ſcilicet,

*Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.*

Quæ cum dicunt, vehementer ſapere creduntur, propterea quod unusquisque inconſiderate ſuæ conditioni ingratus eſt: ego vero illos nunquam tam deſipere contendo, quam cum hæc loquuntur. Conſiderans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuiſſe, ut non dicam, potuiſſe, quia Deus omnia poteſt; ſed neceſſe eſt, ut providentiſſima illa majeſtas id effecerit, quod erat melius & rectius.

Libet igitur interrogare iſtos divinorum operum reprehenſores, quid in homine deeſſe, quia imbecillior naſcitur, credant? Num idcirco minus educentur homines? num minus ad ſummum robur ætatis provehantur? num imbecillitas aut incrementum impediat, aut ſalutem? quoniam quæ deſunt, ratio dependit. At hominis, inquiunt, educatio maximis laboribus conſtat: pecudum ſcilicet conditio melior, quod hæ omnes, cum fœtum ediderint, non niſi paſtus ſui curam gerunt; ex quo efficitur, ut uberibus ſua ſponte diſtentis, alimentum lactis fœtibus miniſtretur, & id cogente natura, ſine matrum ſollicitudine appetant. Quid aves, quarum ratio diverſa eſt, nonne maximos ſuſcipiunt in educando labores? ut interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur: nidos enim, aut luto ædificant, aut virgultis & frondibus conſtruunt; & ciborum expertes incubant ovis; & quoniam fœtus de ſuis corporibus alere datum non eſt, cibos convehunt, & totos dies in hu-

 jusmodi

jusmodi diſcuſatione conſumunt, noctibus vero defendunt, fovent, protegunt. Quid amplius facere homines poſſunt? niſi hoc ſolum fortaſſe, quod non expellunt adultos, ſed perpetua neceſſitudine ac vinculo charitatis adjunctos habent. Quid, quod avium fœtus multo fragilior eſt, quam hominis: quia non materno corpore ipſum animal edunt; ſed quod materni corporis fotu & calore tepefactum, animal efficiat, quod tamen cum ſpiritu fuerit animatum, id vero implume ac tenerum, non modo volandi, ſed ambulandi quoque uſu caret. Non ergo ineptiſſimus ſit, ſi quis putet male cum volucribus egiſſe naturam, primum quod bis naſcuntur; deinde, quod tam infirmæ, ut ſint quæſitis per laborem cibis a parentibus nutriendæ. Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt.

Quæro igitur ab iis, qui conditionem pecudum ſuæ præferunt, quid eligant, ſi Deus his deferat optionem; utrum malint humanam ſapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura? Scilicet non tam pecudes ſunt, ut non malint vel fragiliorem multo, quam nunc eſt, dummodo humanam, quam illam irrationabilem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri, neque hominis rationem volunt cum fragilitate, neque mutorum firmitatem ſine ratione. Quod nihil eſt tam repugnans, tamque contrarium, quod unumquodque animal, aut ratio inſtruat neceſſe eſt, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis inſtruatur, ſupervacua ratio eſt. Quid enim excogitabit? quid faciet? aut quid molietur? aut in quo lumen illud ingenii oſtendet, cum ea, quæ poſſunt eſſe rationis, ultro natura concedat? Si autem ratione ſit præditum, quid opus erit ſepimentis corporis? cum ſemel conceſſa ratio naturæ munus poſſit implere: quæ quidem tantum valet ad ornandum tuendumque hominem, ut nihil potuerit ma-

jus

jus ac melius a Deo dari. Denique cum & corporis non magni homo, & exiguarum virium, & valetudinis ſit infirmæ, tamen quoniam id, quod eſt majus accepit, & inſtructior eſt cæteris animalibus, & ornatior. Nam cum fragilis imbecillisque naſcatur, tamen & a mutis omnibus tutus eſt, & ea omnia, quæ firmiora naſcuntur, etiamſi vim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta eſſe non poſſunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quam natura mutis; quoniam in illis, neque magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere poteſt, quominus aut opprimantur a nobis, aut noſtræ ſubjecta ſint poteſtati.

Poteſtne igitur aliquis, cum videat etiam boves lucas, aut equos, cum immaniſſimis etiam corporibus ac viribus ſervire homini, queri de opifice rerum Deo, quod modicas vires, quod parvum corpus acceperit? nec beneficia in ſe divina pro merito æſtimat, quod eſt ingrati, aut, ut verius loquamur, inſani. Plato, ut hos, credo, ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quod homo natus eſſet. Quod & ipſum quale ſit, non eſt hujus materiæ ponderare. Quanto melius, & ſanius, qui ſentit conditionem hominis eſſe meliorem, quam iſti, qui ſe pecudes natos eſſe maluerunt. Quos ſi Deus in ea ſorte converterit animalia, quorum ſortem præferunt ſuæ, jam profecto cupiant remigrare, magnisque clamoribus conditionem priſtinam flagitent, quia non eſt tanti robur ac firmitas corporis, ut officio linguæ careas, aut avium per aerem libera diſcurſatio, ut manibus indigeas: plus enim manus præſtant, quam levitas uſusque pennarum, plus lingua, quam totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia eſt, ea præferre, quæ, ſi data ſint, accipere detrectes?

## CAPUT IV.

### *De imbecillitate hominis.*

Iidem queruntur, hominem morbis & immaturæ morti eſſe ſubjectum. Indignantur videlicet, non Deos ſe eſſe natos. Minime, inquiunt: ſed ex hoc oſtendimus, hominem nulla providentia eſſe factum, quod aliter fieri debuit. Quid ſi oſtendero, id ipſum magna ratione proviſum eſſe, ut morbis vexari poſſet, & vita ſæpe in medio curſus ſui ſpatio rumperetur? Cum enim Deus animal, quod fecerat, ſua ſponte ad mortem tranſire cognoviſſet, ut mortem ipſam, quæ eſt diſſolutio naturæ, capere poſſet, dedit ei fragilitatem, quæ morti aditum ad diſſolvendum animal inveniret. Nam ſi ejus roboris fieret, ut ad eum morbus & ægritudo adire non poſſet, ne mors quidem poſſet, quoniam mors ſequela morborum eſt. Immatura vero mors quomodo abeſſet ab eo, cui eſſet conſtituta matura? Nempe nullum hominem mori volunt, niſi cum centeſimum ætatis compleverit annum. Quomodo illis in tanta repugnantia rerum ratio poterit conſtare? Ut enim ante annos centum mori quisque non poſſit, aliquid illi roboris, quod ſit immortale, tribuendum eſt. Quo conceſſo, neceſſe eſt conditionem mortis excludi. Id autem ipſum cujusmodi poteſt eſſe, quod hominem contra morbos & ictus extraneos ſolidum atque inexpugnabilem faciat? Cum enim conſtet ex oſſibus, & nervis, & viſceribus, & ſanguine, quid horum poteſt eſſe tam firmum, ut fragilitatem repellat ac mortem? Ut igitur homo indiſſolubilis ſit ante id tempus, quod illi putant oportuiſſe conſtitui, ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia ſunt omnia, quæ videri, ac tangi poſſunt. Supereſt, ut

aliquid

aliquid ex cœlo petant, quoniam in terra nihil eſt, quod non ſit infirmum.

Cum ergo homo ſic formandus eſſet a Deo, ut mortalis eſſet aliquando, res ipſa exigebat, ut terreno & fragili corpore fingeretur. Neceſſe eſt igitur, ut mortem recipiat quandolibet, quoniam corporalis eſt; corpus enim quodlibet ſolubile atque mortale eſt. Stultiſſimi ergo, qui de morte immatura queruntur; quoniam naturæ conditio locum illi facit. Ita conſequens erit, ut morbis quoque ſubjectus ſit; neque enim patitur natura, ut abeſſe poſſit infirmitas ab eo corpore, quod aliquando ſolvendum eſt. Sed putemus fieri poſſe, quemadmodum volunt, ut homo non ea conditione naſcatur, qua morbo mortive ſubjectus ſit, niſi peracto ætatis ſuæ ſpatio, ad ultimam proceſſerit ſenectutem. Non igitur vident, ſi ita ſit conſtitutum, quid ſequatur, omni utique cetero tempore mori nullo modo poſſe: ſed, ſi prohiberi ab altero victu poteſt, mori poterit; res igitur exigit, ut homini, qui ante certum diem mori non poteſt, ciborum alimentis, quia ſubtrahi poſſunt, opus non ſit. Si opus cibo non erit, jam non homo ille, ſed Deus fiet. Ergo, ut ſuperius dixi, qui de fragilitate hominis queruntur, id potiſſimum queruntur, quod non immortales & ſempiterni ſint nati. Nemo, niſi ſenex, mori debet. Nempe ideo mori debet, quia Deus non eſt. Atqui mortalitas non poteſt cum immortalitate conjungi. Si enim mortalis eſt in ſenectute, immortalis eſſe in adoleſcentia non poteſt; nec eſt ab eo conditio mortis aliena, qui quandoque moriturus eſt; nec ulla immortalitas eſt, cui ſit terminus conſtitutus. Ita fit, ut & immortalitas excluſa in perpetuum, & ad tempus recepta mortalitas, hominem conſtituat in ea conditione, ut ſit in qualibet ætate mortalis.

Qua-

Quadrat igitur neceſſitas undique, nec debuiſſe aliter fieri, nec fas fuiſſe. Sed iſti rationem ſequentium non vident, quia ſemel erraverunt in ipſa ſumma. Excluſa enim de rebus humanis divina providentia neceſſario ſequebatur, ut omnia ſua ſponte ſint nata. Hinc invenerunt illas minutorum ſeminum plagas, & concurſiones fortuitas, quia rerum originem non videbant. In quas ſe anguſtias cum conjeciſſent, jam cogebat eos neceſſitas exiſtimare, animas cum corporibus naſci, & item cum corporibus extingui. Aſſumſerant enim nihil fieri mente divina. Quod ipſum non aliter probare poterant, quam ſi oſtenderent eſſe aliqua, in quibus videretur providentiæ ratio claudicare. Reprehenderunt igitur ea, in quibus vel maxime divinitatem ſuam providentia mirabiliter expreſſit, ut illa, quæ retuli de morbis & immatura morte, cum debuerint cogitare, his aſſumptis, quid neceſſario ſequeretur, (ſequuntur autem illa, quæ dixi) ſi morbum non reciperet, neque tectis, neque veſtibus indigeret. Quid enim ventos, aut imbres, aut frigora metueret, quorum vis in eo eſt, ut morbos afferant? Idcirco enim accepit ſapientiam, ut adverſus nocentia fragilitatem ſuam muniat. Sequatur neceſſe eſt, ut quoniam retinendæ rationis cauſa morbos capit, etiam mortem ſemper accipiat; quia is ad quem mors non venit, firmus ſit neceſſe eſt: infirmitas autem habet in ſe mortis conditionem; firmitas vero ubi fuerit, nec ſenectus locum poteſt habere, nec mors, quæ ſequitur ſenectutem.

Præterea, ſi mors certæ conſtituta eſſet ætati, fieret homo inſolentiſſimus, & humanitate omni careret. Nam fere jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & conſcientia fragilitatis oriuntur. Denique imbecilliora, & timidiora quæque animalia congregantur, ut quoniam viribus tueri

tueri ſe nequeunt, multitudine tueantur: fortiora vero ſolitudines appetunt, quoniam robore viribusque confidunt. Homo quoque ſi eodem modo haberet ad propulſanda pericula ſuppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret, quæ ſocietas eſſet? quæve ratio? quæ humanitas? aut quid eſſet tetrius homine? quid efferacius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis eſt, nec per ſe poteſt ſine homine vivere, ſocietatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat, & tutior. Vides igitur omnem hominis rationem in eo vel maxime ſtare, quod nudus fragiliſque naſcitur, quod morbis afficitur, quod immatura morte multatur. Quæ ſi homini detrahantur, rationem quoque ac ſapientiam detrahi, neceſſe eſt. Sed nimis diu de rebus apertis diſputo, cum ſit liquidum, nihil ſine providentia, nec factum eſſe unquam, nec fieri potuiſſe. De cujus operibus univerſis, ſi nunc libeat diſputare per ordinem, infinita materia eſt. Sed ego de uno corpore hominis tantum inſtitui dicere, ut in eo divinæ providentiæ poteſtatem; quanta fuerit, oſtendam his dumtaxat in rebus, quæ ſunt comprehenſibiles & apertæ; nam illa quæ ſunt animæ, nec ſubjici oculis, nec comprehendi queunt. Nunc de ipſo vaſe hominis loquimur, quod videmus.

---

## CAPUT V.

*De figuris animalium & membris.*

In principio, cum Deus fingeret animalia, noluit ea in rotundam formæ ſpeciem conglobare atque colligere, ut & moveri ad ambulandum, & flectere ſe in quamlibet partem facile poſſent: ſed ex ipſa corporis ſumma produxit caput; item produxit membra quædam longius, quæ vocantur pedes, ut alternis

moti-

motibus ſolo fixa producerent animal, quo mens tuliſſet, aut quo petendi cibi neceſſitas provocaſſet. Ex ipſo autem vaſculo corporis quatuor fecit extantia: bina poſterius, quæ ſunt in omnibus pedes; item bina capiti & collo proxima, quæ varios animantibus uſus præbent. In pecudibus enim ac feris ſunt poſterioribus pedes ſimiles, in homine autem manus; quæ non ſunt ad ambulandum: ſed ad faciendum temperandumque ſunt natæ. Eſt & tertium genus, in quo priora illa, neque pedes, neque manus ſunt, ſed alæ, in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi exhibent uſum. Ita una fixio diverſas ſpecies & uſus habet. Atque ut ipſam corporis craſſitudinem firmiter comprehenderet, majoribus & brevibus oſſibus invicem colligatis, quaſi carinam compegit, quam nos ſpinam dicimus, eamque noluit ex uno perpetuoque oſſe formare, ne gradiendi flectendique ſe facultatem animal non haberet. Ex ejus parte quaſi media coſtas, id eſt transverſa & plana oſſa porrexit in diverſum, quibus clementer curvatis, & in ſe velut in circulum pene conductis, interna viſcera contegantur, ut ea, quæ mollia & minus valida fieri opus erat, illius ſolidæ cratis amplexu poſſent eſſe munita. In ſumma vero conſtructionis ejus, quam ſimilem navis carinæ diximus, caput collocavit, in quo eſſet regimen totius animantis; datumque illi hoc nomen eſt, ut quidem Varro ad Ciceronem ſcribit, quod hinc capiant initium ſenſus ac nervi.

Ea vero, quæ diximus de corpore, vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi cauſa eſſe producta, neque nimium longis, propter celerem mobilitatem, neque nimium brevibus, propter firmitatem, ſed & paucis, & magnis oſſibus conſtare voluit. Aut enim bina ſunt, ut in homine; aut quaterna, ut in quadrupede: quæ tamen non fecit ſolida, ne in gradiendo pigritia & gravitas retardaret, ſed cavata, & ad vi-

gorem

gorem corporis conſervandum medullis intrinſecus plena; eaque rurſus non æqualiter porrecta finivit: ſed ſummas eorum partes craſſioribus nodis conglobavit, ut & ſubſtringi nervis facilius, & verti tutius poſſent, unde ſunt vertibula nominata. Eos nodos firmiter ſolidatos leni quodam operculo texit, quod dicitur cartilago; ſcilicet, ut ſine attritu, & ſine ſenſu doloris aliquo flecterentur. Eosdem tamen non in unum modum informavit: alios enim fecit ſimplices, & in orbem rotundos, in iis dumtaxat articulis, in quibus moveri membra in omnes partes oportebat, ut in ſcapulis; quoniam manus utrolibet agitari, & contorqueri neceſſarium eſt: alios autem latos, & in unam partem rotundos, & in his utique locis, ubi tantummodo curvari membra oportebat, ut in genibus, & in cubitis, & in manibus ipſis. Nam ſicut manus ex eo loco, unde oriuntur, ubique verſus moveri, ſpecioſum ſimul & utile fuit: ſic profecto, ſi hoc idem etiam cubitis accideret, & ſupervacuus eſſet ejusmodi motus, & turpis.

Jam enim manus amiſſa dignitate, quam nunc habet, mobilitate nimia proboſcidi ſimilis videretur, eſſetque homo plane anguimanus: quod genus in illa immaniſſima bellua mirabiliter effectum eſt. Deus enim, qui providentiam & poteſtatem ſuam multarum rerum mirabili varietate voluit oſtendere, quoniam caput ejus animalis non tam longe porrexerat, ut terram poſſet ore contingere, quod erat futurum horribile atque tetrum, & quia os ipſum profuſis dentibus ſic armaverat, ut etiamſi contingeret, paſcendi tamen facultatem dentes adimerent; produxit inter eos a ſumma fronte molle ac flexibile membrum quo prendere, quo tenere quodlibet poſſet, ne rationem victus capiendi, vel dentium prominens magnitudo, vel cervicis brevitas impediret.

## CAPUT VI.

*De Epicuri errore; & de membris eorumque uſu.*

Non poſſum hoc loco teneri, quominus Epicuri ſtultitiam rurſum coarguam; illius enim ſunt omnia, quæ delirat Lucretius: qui, ut oſtenderet animalia non artificio aliquo divinæ mentis, ſed, ut ſolet, fortuito eſſe nata; dixit, in principio mundi alias quasdam innumerabiles animantes miranda ſpecie & magnitudine fuiſſe natas, ſed eas permanere non potuiſſe, quod illas aut ſumendi cibi facultas, aut coeundi generandique ratio defeciſſet. Videlicet ut & atomis ſuis locum faceret per infinitum & inane volitantibus, divinam providentiam voluit excludere. Sed cum videret, in omnibus, quæ ſpirant, mirabilem providentiæ ineſſe rationem, quæ malum! vanitas erat, dicere fuiſſe animalia prodigioſa, in quibus naſcendi ratio ceſſaret?

Quoniam igitur omnia, quæ videmus, cum ratione nata ſunt, id enim ipſum naſci, efficere niſi ratio non poteſt, manifeſtum eſt, nihil omnino rationis expers potuiſſe generari. Ante enim proviſum eſt in ſingulis quibusque fingendis, quatenus & miniſterio membrorum ad neceſſaria vitæ uteretur, & quatenus adjugatis corporibus elata ſoboles, univerſas generatim conſervaret animantes. Nam ſi peritus architectus, cum magnum aliquod ædificium facere conſtituit, primo omnium cogitat, quæ ſumma perfecti ædificii futura ſit, & ante emetitur, quem locum leve pondus expectet, ubi magni operis ſtatura ſit moles, quæ columnarum intervalla, qui, aut ubi aquarum cadentium decurſus & exitus, & receptacula, hæc, inquam, prius providet, ut quæcumque ſunt perfecto jam operi neceſſaria, cum ipſis fundamentis pariter ordiatur: cur Deum quisquam

putet

putet in machinandis animalibus non ante providiſſe, quæ ad vivendum neceſſaria eſſent, quam ipſam vitam daret? Quæ utique conſtare non poſſet, niſi prius effecta eſſent quibus conſtat.

Videbat igitur Epicurus in corporibus animalium divinæ rationis ſolertiam: ſed ut efficeret, quod ante imprudenter aſſumpſerat, adjecit aliud deliramentum ſuperiori congruens. Dixit enim, neque oculos ad videndum eſſe natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum, quoniam membra hæc prius nata ſunt, quam eſſet uſus videndi, & audiendi, & ambulandi: ſed horum omnia officia ex natis extitiſſe. Vereor, ne hujusmodi portenta, & ridicula refutare, non minus ineptum eſſe videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus, ne ſe ille nimis argutum putet. Quid ais, Epicure? Non ſunt ad videndum oculi nati? Cur igitur vident? Poſtea, inquit, uſus eorum apparuit. Videndi ergo cauſa nati ſunt; ſiquidem nihil poſſunt aliud, quam videre. Item membra cætera, cujus rei cauſa nata ſunt, ipſe uſus oſtendit: qui utique nullo modo poſſet exiſtere, niſi eſſent membra omnia tam ordinate, tam providenter effecta, ut uſum poſſent habere.

Quid enim, ſi dicas aves non ad volandum eſſe natas, neque feras ad ſæviendum, neque piſces ad natandum, neque homines ad ſapiendum; cum appareat ei naturæ, officioque ſervire animantes, ad quod eſt quæque generata? Sed videlicet qui ſummam ipſam veritatis amiſit, ſemper erret neceſſe eſt. Si enim non providentia, ſed fortuitis atomorum concurſionibus naſcuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, ſic coire illa principia, ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret, odoraretur oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus poſitionis inexpertum relinquunt, oportuit ejusmodi quotidie monſtra generari, in quibus & membrorum

ordo præpoſterus, & uſus longe diverſus exiſteret. Cum vero univerſa genera, & univerſa quoque membra leges ſuas, & ordines, & uſus ſibi attributos tueantur, manifeſtum eſt, nihil fortuito eſſe factum, quoniam divinæ rationis diſpoſitio perpetua ſervatur. Verum alias refellemus Epicurum; nunc de providentia, ut cœpimus, diſſeramus.

---

## CAPUT VII.

### *De omnibus corporis partibus.*

Deus igitur ſolidamenta corporis, quæ oſſa dicuntur, nodata & adjuncta invicem nervis alligavit atque conſtrinxit, quibus mens, ſi excurrere, aut reſiſtere velit, tanquam retinaculis uteretur; & quidem nullo labore, nulloque conatu: ſed vel minimo nutu totius corporis molem temperaret ac flecteret. Hæc autem viſceribus operuit, ut quemque locum decebat, ut quæ ſolida eſſent, concluſa tegerentur. Item viſceribus ipſis venas admiſcuit, quaſi rivos per corpus omne diviſos, per quas diſcurrens humor, & ſanguis, univerſa membra ſuccis vitalibus irrigaret; & ea viſcera, formata in eum modum, qui unicuique generi ac loco aptus fuit, ſuperjecta pelle contexit, quam vel ſola pulcritudine decoravit, vel ſetis adoperuit, vel ſquammis munivit, vel plumis inſignibus adornavit. Illud vero commentum Dei mirabile, quod una diſpoſitio, & unus habitus, innumerabiles imaginis præferat varietates. Nam in omnibus fere, quæ ſpirant, eadem ſeries & ordo membrorum eſt. Primum enim caput, & huic annexa cervix. Item collo pectus adjunctum, & ex eo prominentes armi, adhærens pectori venter. Item ventri ſubnexa genitalia. Ultimo loco femina, pedesque.

Nec

Nec ſolum membra ſuum tenorem ac ſitum in omnibus ſervant, ſed etiam partes membrorum. Nam in uno capite ipſo certam ſedem poſſident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in eo dentes, & lingua. Quæ omnia cum ſint eadem in omnibus animantibus, tamen infinita & multiplex diverſitas figuratorum eſt; quod ea quæ dixi, aut productiora, aut contractiora lineamentis varie differentibus comprehenſa ſunt. Quid, illud nonne divinum, quod in tanta viventium multitudine, unumquodque animal in ſui genere & ſpecie pulcherrimum eſt? ut ſiquid viciſſim de altero in alterum transferatur, nihil impeditius ad utilitatem, nihil deformius ad aſpectum videri neceſſe ſit: ut ſi elephanto cervicem prolixam tribuas, aut camelo brevem; vel ſi ſerpentibus pedes, aut pilos addas, in quibus porrecti æqualiter corporis longitudo nihil aliud exhibeat, niſi ut maculis terga diſtincti, & ſquammarum lævitate ſuffulti, in lubricos tractus ſinuoſis flexibus laberentur. In quadrupedibus autem, idem opifex contextum ſpinæ a ſummo capite deductum longius extra corpus eduxit, & acuminavit in caudam, ut obſcœnæ corporis partes, vel propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur, ut animalia quædam minuta & nocentia motu ejus arcerentur a corpore: quod membrum ſi detrahas, imperfectum ſit animal, ac debile. Ubi autem ratio, & manus eſt, tam non eſt id neceſſarium, quam indumentum pilorum: adeo in ſuo quæque genere aptiſſime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quidquam turpius poſſit.

Sed tamen cum ipſa nuditas hominis mire ad pulcritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat; quanta enim in eo futura deformitas eſſet, ex calvitio apparet. Texit ergo illud pilo; & quia in ſummo futurum erat; quaſi ſummum ædificii culmen

 orna-

ornavit: qui ornatus non eſt in orbem coactus, aut in figuram pilei teres factus, ne quibusdam partibus nudis eſſet informis, ſed alicubi effuſus, alicubi retractus pro cujuslibet loci decentia. Frons ergo vallata per circuitum, & a temporibus effuſi ante aures capilli, & earum ſummæ partes in coronæ modum cinctæ, & occipitium omne contectum, ſpeciem miri decoris oſtentant. Jam barbæ ratio incredibile eſt quantum conferat, vel ad dignoſcendam corporum maturitatem, vel ad differentiam ſexus, vel ad decorem virilitatis, ac roboris; ut videatur omnino non conſtatura fuiſſe totius operis ratio, ſi quidquam aliter eſſet effectum.

## CAPUT VIII.

*De Hominis partibus, oculis & auribus.*

Nunc rationem totius hominis oſtendam, ſingulorumque membrorum, quæ in corpore aperta, aut operta ſunt, utilitates & habitus explicabo. Cum igitur ſtatuiſſet Deus ex omnibus animalibus ſolum hominem facere cœleſtem, cætera univerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque conſtituit, ſcilicet ut eodem ſpectaret, unde illi origo eſt; illa vero depreſſit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum projecta ventri pabuloque ſervirent. Hominis itaque ſolius recta ratio & ſublimis ſtatus, & vultus Deo patri communis ac proximus, originem ſuam, fictoremque teſtatur. Ejus prope divina mens, quia non tantum animantium, quæ ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis eſt ſortita dominatum, in ſummo capite collocata, tanquam in arce ſublimis ſpeculatur omnia, & contuetur. Hanc ejus aulam, non obductam porrectamque formavit, ut in mutis animalibus, ſed

orbi

orbi & globo ſimilem; quod omnis rotunditas perfectæ rationis eſt, ac figuræ. Eo igitur mens & ignis ille divinus tanquam cœlo tegitur: cujus cum ſummum faſtigium naturali veſte texiſſet, priorem partem, quæ dicitur facies, neceſſariis membrorum miniſteriis & inſtruxit pariter & ornavit.

Ac primum, quod oculorum orbes concavis foraminibus concluſit, a quo foratu frontem nominatam Varro exiſtimavit, & eos, neque minus, neque amplius, quam duos eſſe voluit, quod ad ſpeciem nullus eſt perfectior numerus, quam duorum: ſicut & aures duas, quarum duplicitas incredibile eſt quantam pulcritudinem præferat, quod tum pars utraque ſimilitudine ornata eſt, tum ut venientes altrinſecus voces facilius colligantur; nam & forma ipſa mirandum in modum ficta, quod earum foramina noluit eſſe nuda, & inobſepta, quod & minus decorum, & utile minus fuiſſet, quoniam ſimplicium cavernarum anguſtias prætervolare vox poſſet, niſi exceptam per cavos ſinus, & repercuſſu retentam foramina ipſa cohiberent: illis ſimilia vaſculis, quibus impoſitis ſolent anguſti oris vaſa compleri.

Eas igitur aures, (quibus eſt inditum nomen a vocibus hauriendis, unde Virgilius:

— *Vocemque his auribus hauſi;*

aut quia vocem ipſam Græci *αὐδὴν* vocant, ab auditu, per immutationem litteræ, aures velut audes ſunt nominatæ) noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, quæ pulcritudinem demerent pendulæ atque flaccentes, neque duris ac ſolidis oſſibus, ne ad uſum inhabiles eſſent, immobiles ac rigentes: ſed quod eſſet horum medium excogitavit, ut eas cartilago mollior alligaret, & haberent aptam ſimul & flexibilem firmitatem. In his audiendi tantum officium conſtitutum eſt, ſicut in oculis videndi; quorum

 præci-

præcipue inexplicabilis eſt ac mira ſubtilitas, quia eorum orbes gemmarum ſimilitudinem præferentes, ab ea parte qua videndum fuit, membranis perlucentibus texit, ut imagines rerum contra poſitarum tanquam in ſpeculo refulgentes, ad ſenſum intimum penetrarent. Per eas igitur membranas ſenſus ille, qui dicitur mens, ea quæ ſunt foris tranſpicit. Ne forte exiſtimes, aut imaginum incurſione nos cernere, ut philoſophi dixerunt; quoniam videndi officium in eo debet eſſe quod videt, non in eo quod videtur: aut intentione aeris, cum acie aut effuſione radiorum, quoniam, ſi ita eſſet, radium quem oculis advertimus, videremus, donec intentus aer cum acie, aut effuſi radii ad id quod videndum eſſet pervenirent.

Cum autem videamus eodem momento temporis, plerumque vero aliud agentes, nihilominus tamen univerſa quæ contra ſunt poſita intueamur, verius & manifeſtius eſt mentem eſſe, quæ per oculos ea quæ ſunt oppoſita, tranſpiciat, quaſi per feneſtras lucente vitro, aut ſpeculari lapide obductas. Et idcirco mens, & voluntas ex oculis ſæpe dignoſcitur. Quod quidem ut refelleret Lucretius, ineptiſſimo uſus eſt argumento. Si enim mens, inquit, per oculos videt, erutis & effoſſis oculis magis videret; quoniam evulſæ cum poſtibus fores plus inferunt luminis, quam ſi fuerint obductæ. Nimirum ipſi, vel potius Epicuro, qui eum docuit, effoſſi oculi erant, ne viderent, effoſſos orbes, & ruptas oculorum fibras, & fluentem per venas ſanguinem, & creſcentes ex vulneribus carnes, & obductas ad ultimum cicatrices nihil poſſe lucis admittere, niſi forte auribus oculos ſimiles naſci volebat; ut non tam oculis, quam foraminibus cerneremus: quo nihil ad ſpeciem fœdius, ad uſum inutilius fieri poteſt. Quantulum enim videre poſſemus, ſi mens, ab intimis penetralibus

capi-

capitis per exiguas cavernarum rimulas attenderet; ut ſiquis velit tranſpicere per cicutam, non plus profecto cernat, quam cicutæ ipſius capacitas comprehendat. Itaque ad videndum membris potius in orbem conglobatis opus fuit, ut viſus in latum ſpargeretur, & quæ in primori facile adhærerent, ut libere poſſent omnia contueri. Ergo ineffabilis divinæ providentiæ virtus fecit duos ſimillimos orbes, eosque ita devinxit, ut non in totum converti, ſed moveri tamen ac flecti cum modo poſſent. Orbes autem ipſos humoris puri ac liquidi plenos eſſe voluit, in quorum media parte ſcintillæ luminum concluſæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus, in quibus puris ac ſubtilibus cernendi ſenſus ac ratio continetur. Per eos igitur orbes ſeipſam mens intendit ut videat, miraque ratione in unum miſcetur & conjungitur amborum luminum viſus.

---

## CAPUT IX.

### *De ſenſibus, eorumque vi.*

Libet hoc loco illorum reprehendere vanitatem, qui dum volunt oſtendere ſenſus falſos eſſe, multa colligunt, in quibus oculi fallantur; inter quæ illud etiam, quod furioſis & ebriis omnia duplicia videantur: quaſi vero ejus erroris obſcura ſit cauſa. Ideo enim ſit, quia duo ſunt oculi. Sed quomodo id fiat, accipe. Viſus oculorum intentione animi conſtat. Itaque quoniam mens, ut ſupra dictum eſt, oculis tanquam feneſtris utitur, non tantum hoc ebriis, aut inſanis accidit, ſed & ſanis, ac ſobriis. Nam ſi aliquid nimis propius admoveas, duplex videbitur; certum eſt enim intervallum, ac ſpatium, quo acies oculorum coit. Item ſi retrorſum avoces animum, quaſi ad cogitandum, & intentionem mentis relaxes;

tum acies oculi utriusque diducitur, tunc ſinguli videre incipiunt ſeparatim.

Si animum rurſus intenderis, aciemque direxeris, coit in unum quidquid duplex videbatur. Quid ergo mirum, ſi mens veneno, ac potentia vini diſſoluta, dirigere ſe non poteſt ad videndum, ſicut ne pedes quidem ad ambulandum, nervis ſtupeſcentibus debiles? aut ſi vis furoris in cerebrum ſæviens concordiam disjungit oculorum? Quod adeo verum eſt, ut luſcis hominibus, ſi aut inſani, aut ebrii fiant, nullo modo poſſit accidere, ut aliquid duplex videant. Quare ſi ratio apparet, cur oculi fallantur, manifeſtum eſt, non eſſe falſos ſenſus; qui aut non falluntur, ſi ſunt puri & integri, aut ſi falluntur, mens tamen non fallitur, quæ illorum novit errorem.

## CAPUT X.

*De exterioribus hominis membris, eorumque uſu.*

Sed nos ad Dei opera revertamur. ut igitur oculi munitiores eſſent ab injuria, eos ciliorum tegminibus occuluit; unde oculos dictos eſſe, Varroni placet. Nam & ipſæ palpebræ quibus mobilitas ineſt, & palpitatio vocabulum tribuit, pilis in ordine ſtantibus vallatæ, ſeptum oculis decentiſſimum præbent. Quarum motus aſſiduus incomprehenſibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum. Acies enim, id eſt membrana illa perlucens, quam ſiccari & obareſcere non oportet, niſi humore aſſiduo terſa pure niteat, obſoleſcit. Quid ipſa ſuperciliorum faſtigia pilis brevibus adornata? nonne, quaſi aggeribus, & munimentum oculis, nequid ſuperne incidat, & ſpeciem ſimul præſtant? Ex quorum confinio naſus exoriens, & veluti æquali porrectus jugo, utramque aciem ſimul & diſcernit & munit.

munit. Inferius quoque genarum non indecens tumor, in ſimilitudinem collium leniter exurgens, ab omni parte oculos efficit tutiores; proviſumque eſt ab artifice ſummo, ut ſi quis forte vehementior ictus extiterit, eminentibus repellatur. Naſi vero pars ſuperior usque ad medium ſolida formata eſt, inferior autem cartilagine adhærente mollita, ut ad uſum digitorum poſſit eſſe tractabilis. In hoc autem, quamvis ſimplici membro, tria ſunt officia conſtituta; unum ducendi ſpiritus; alterum capiendi odoris; tertium ut per ejus cavernas purgamenta cerebri defluant: quas ipſas Deus quam mirabili quam divina ratione molitus eſt, ut tamen hiatus ipſe naſi oris ſpeciem non deformaret. Quod erat plane futurum, ſi unum ac ſimplex foramen pateret. At id velut pariete per medium ducto interſepſit atque diviſit, fecitque ipſa duplicitate pulcherrimum. Ex quo intelligimus, quantum dualis numerus, una & ſimplici compage ſolidatus, ad rerum valeat perfectionem.

Nam cum ſit corpus unum, tamen totum ex ſimplicibus membris conſtare non poterat, niſi ut eſſent partes vel dextræ, vel ſiniſtræ. Itaque ut pedes duo, & item manus, non tantum ad utilitatem aliquam uſumque, vel gradiendi, vel faciendi valent, ſed & habitum, decoremque admirabilem conferunt: ſic in capite, quod totius divini operis quaſi culmen eſt, & auditus in duas aures, & viſus in duas acies, & odoratio in duas nares a ſummo artifice diviſa eſt; quia cerebrum, in quo ſentiendi ratio eſt, quamvis ſit unum, tamen in duas partes membrana interveniente diſcretum eſt. Sed & cor, quod ſapientiæ domicilium videtur, licet ſit unum, duos tamen intrinſecus ſinus habet, quibus fontes vivi ſanguinis continentur, ſepto intercedente diviſi; ut ſicut in ipſo mundo ſumma rerum vel de ſimplici duplex, vel de duplici ſimplex, & gubernat, & continet totum:

ita

ita in corpore de duobus univerſa compacta, in diſſociabilem prætenderent unitatem. Oris quoque ſpecies, & rictus ex transverſo patefactus, quam utilis, quam decens ſit, enarrari non poteſt: cujus uſus in duobus conſtat officiis, ſumendi victus, & loquendi.

Lingua intus incluſa, quæ vocem motibus ſuis in verba diſcernit, & eſt interpres animi; nec tamen ſola poteſt per ſe loquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi juta vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum: dentes tamen plus conferunt ad loquendum; nam & infantes non ante incipiunt fari, quam dentes habuerint, & ſenes amiſſis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo eſſe videantur. Sed hæc ad hominem ſolum pertinent, aut ad aves, in quibus acuminata & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones, & ſonorum varios modos exprimit. Habet præterea & aliud officium, quo in omnibus, ſed tamen ſolo in mutis utitur, quod contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſua deprimit; & transmittit ad ventrem. Itaque Varro a ligando cibo putat linguæ nomen impoſitum. Beſtias etiam potu adjuvat; protenta enim cavataque hauriunt aquam, eamque comprehenſam linguæ ſinu, ne tarditate ac mora effluat, ad palatum celeri mobilitate complodunt. Hæc itaque palati concavo tanquam teſtudine tegitur; eamque dentium ſeptis Deus quaſi muro circumvallavit.

Dentes autem ipſos mirabili modo per ordinem fixos, ne nudi ac reſtricti magis horrori, quam ornamento eſſent, gingivis mollibus, quæ a gignendis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honeſtavit, quorum durities, ſicut in molari lapide, major eſt & aſperior, quam in cæteris oſſibus, ut ad conterendos cibos pabulumque ſufficerent. Labra ipſa, quæ quaſi antea cohærebant, quam decenter

center intercidit; quorum ſuperius ſub ipſa medietate narium lacuna quadam levi, quaſi valle ſignavit, inferius honeſtatis gratia foras molliter explicavit. Nam quod attinet ad ſaporem capiendum, fallitur, quisquis hunc ſenſum palato ineſſe arbitratur; lingua eſt enim, qua ſapores ſentiuntur; nec tamen tota: nam partes ejus, quæ ſunt ab utroque latere teneriores, ſaporem ſubtiliſſimis ſenſibus trahunt. Et cum neque ex cibo quidquam, neque ex potione minuatur; tamen inenarrabili modo penetrat ad ſenſum ſapor, eadem ratione, qua nihil de quaque materia odoriscapio decerpit.

Cætera quam decora ſint, vix exprimi poteſt. Deductum clementer a genis mentum, & ita inferius concluſum, ut acumen ejus extremum ſignare videatur leviter impreſſa diviſio; rigidum ac teres collum; ſcapulæ velut mollibus jugis a cervice demiſſæ; valida & ſubſtricta nervis ad fortitudinem brachia; inſignibus toris extantium lacertorum vigens robur; utilis ac decens flexura cubitorum. Quid dicam de manibus, rationis ac ſapientiæ miniſtris? quas ſolertiſſimus artifex plano ac modice concavo ſinu fictas, ut ſi quid tenendum ſit, apte poſſit inſidere, in digitos terminavit: in quibus difficile eſt expedire, utrumne ſpecies, an utilitas major ſit. Nam & numerus perfectus, ac plenus, & ordo ac gradus decentiſſimus, & articulorum parium curvatura flexibilis, & forma unguium rotunda, concavis tegminibus digitorum faſtigia comprehendens atque firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatum. Illud vero ad uſum miris modis habile, quod unus a cæteris ſeparatus cum ipſa manu oritur, & in diverſum maturius funditur: qui ſe velut obvium cæteris præbens, omnem tenendi faciendique rationem vel ſolus, vel præcipue poſſidet, tanquam rector omnium atque moderator; unde etiam

pol-

pollicis nomen accepit, quod vi & poteſtate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non ut alii ternos, ſed unus ad manum carne connectitur pulcritudinis gratia. Si enim fuiſſet tribus articulis & ipſe diſcretus, fœda & indecora ſpecies ademiſſet manibus honeſtatem.

Jam pectoris latitudo ſublimis, & expoſita oculis, mirabilem præ ſe fert habitus ſui dignitatem. Cujus hæc cauſa eſt, quod videtur hominem ſolum Deus veluti ſupinum formaſſe, nam fere nullum aliud animal jacere in tergum poteſt, mutas autem animantes quaſi alterno latere jacentes finxiſſe, atque ad terram compreſſiſſe. Idcirco illis anguſtum pectus, & ab aſpectu remotum, & ad terram verſus abjectum: homini autem patens & erectum; quia plenum rationis a cœlo datæ, humile, aut indecens eſſe non debuit. Papillæ quoque leviter eminentes, & fuſcioribus ac parvis orbibus coronatæ, non nihil addunt venuſtatis, fœminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad ſolum decus, ne informe pectus, & quaſi mutilum videretur. Huic ſubdita eſt planicies ventris, quam mediam fere umbilicus non indecenti nota ſignat, ad hoc factus, ut per eum fœtus, dum eſt in utero, nutriatur.

---

## CAPUT XI.

### *De inteſtinis in homine, eorumque uſu.*

Sequitur neceſſario, ut de internis quoque viſceribus dicere incipiam: quibus non pulcritudo, quia ſunt abdita, ſed utilitas incredibilis attributa eſt, quoniam opus fuerat, ut terrenum hoc corpus ſucco aliquo de cibis ac potibus aleretur, ſicut terra ipſa imbribus ac pruinis. Providentiſſimus artifex in medio ejus receptaculum cibis fecit, quibus concoctis

&

& liquefactis, vitales ſuccos membris omnibus diſpertiret. Sed cum homo conſtet ex corpore atque anima, illud quod ſupra dixi receptaculum, ſoli corpori præſtat alimentum: animæ vero aliam ſedem dedit. Fecit enim genus quoddam viſcerum molle atque rarum, quod pulmonem vocamus, in quod ſpiritus reciproca viciſſitudine commearet; eumque non in uteri modum finxit, ne effunderetur ſimul ſpiritus, aut inflaret ſimul. Ideoque ne plenum quidem viſcus effecit, ſed inflabile, atque aeris capax; ut paulatim ſpiritum reciperet, dum vitalis ventus per illam ſpargitur raritatem, & eumdem rurſus paulatim redderet, dum ſe ex illo explicat. Ipſa enim viciſſitudo flandi & ſpirandi, reſpirandique tractus, vitam ſuſtentat in corpore.

Quoniam ergo duo ſunt in homine receptacula, unum aëris, quod alit animam, alterum ciborum, quod alit corpus, ut flecti cervix, ac moveri facile poſſit, duas eſſe per collum fiſtulas neceſſe eſt, cibalem, ac ſpiritalem, quarum ſuperior ab ore ad ventrem ferat, inferior a naribus ad pulmonem. Quarum ratio, & natura diverſa eſt. Ille enim qui eſt ab ore tranſitus, mollis effectus eſt, & qui ſemper clauſus cohæreat ſibi, ſicut os ipſum; quoniam potus, & cibus, dimota & patefacta gula, quia corporales ſunt, ſpatium ſibi transmeandi faciunt. Spiritus contra, qui eſt incorporalis, ac tenuis, quia ſpatium ſibi facere non poterat, accepit viam patentem, quæ vocatur gurgulio. Is conſtat ex oſſibus flexuoſis ac mollibus, quaſi ex annulis in cicutæ modum invicem compactis & cohærentibus; patetque ſemper hic tranſitus. Nullam enim requiem meandi habere ſpiritus poteſt, quia is, qui ſemper commeat, demiſſa utiliter de cerebro membri portione, cui uva nomen eſt, velut occurſu quodam refrœnatur, ne aut teneritudinem domicilii cum impetu veniens at-

tracta

tracta peſtilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat. Ideoque etiam nares breviter ſunt apertæ, quæ idcirco ſic nominantur, quia per eas vel odor, vel ſpiritus nare non deſinit, quæ ſunt hujus fiſtulæ quaſi oſtia. Tamen hæc fiſtula ſpiritalis non tantum ad nares, verum ad os quoque interpatet in extremis palati regionibus, ubi ſe colles faucium ſpectantes uvam tollere incipiunt in tumorem. Cujus rei cauſa & ratio non obſcura eſt; loquendi enim facultatem non haberemus, ſi, ut gulæ iter ad os tantum, ita gurgulio ad nares tantum pateret, nec procedens ex eo ſpiritus efficere vocem ſine linguæ miniſterio poſſet.

Aperuit igitur viam voci divina ſolertia ex illa fiſtula ſpiritali, ut poſſet lingua miniſterio ſuo fungi, & vocis ipſius inoffenſum tenorem pulſibus ſuis in verba concidere. Qui meatus, ſi aliquo modo interceptus ſit, mutum faciat neceſſe eſt. Errat enim profecto, quisquis aliam cauſam putat, cur homines muti ſint. Non enim, ut vulgo creditur, vinctam gerunt linguam: ſed ii vocalem illum ſpiritum per nares quaſi mugientes profundunt, quod voci tranſitus ad os aut nullus omnino eſt, aut non ſic patens, ut plenam vocem poſſit emittere. Quod plerumque natura fit; aliquando etiam caſu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obſeptus vocem non transmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos. Quod cum acciderit, auditum quoque obſtrui neceſſe eſt; ut quia vocem emittere non poteſt, ne admittere quidem poſſit. Loquendi ergo cauſa patefactus eſt hic meatus. Illud quoque præſtat, ut in lavacris celebrandis, quia nares calorem ferre non poſſunt, aer fervens ore ducatur; ſi item, forte ſpiramenta narium frigoris pituita præcluſerit, per os auram trahere poſſimus, ne obſtructa meandi facultate, ſpiritus ſtranguletur. Cibi vero in alvum recepti, & cum potus humore per-

miſti

miſti, cum jam calore percocti fuerint, eorum ſuccus inenarrabili modo per membra diffuſus, irrigat univerſum corpus, & vegetat.

Inteſtinorum quoque multiplices ſpiræ, ac longitudo in ſe convoluta, & uno tamen ſubſtricta vinculo, quam mirificum Dei opus eſt? Nam ubi maceratos ex ſe cibos alvus emiſerit, paulatim per illos internorum anfractus extruduntur, ut quidquid ipſis ineſt ſucci, quo corpus alitur, membris omnibus dividatur. Et tamen necubi forte obhæreant, ac reſiſtant, quod fieri poterat, propter ipſorum voluminum flexiones in ſe ſæpe redeuntes, & fieri ſine pernicie non poterat, oblevit ea intrinſecus craſſiore ſucco, ut purgamenta illa ventris ad exitus ſuos facilius per lubricum niterentur. Illa quoque ratio ſubtiliſſima eſt, quod veſica, cujus uſum volucres non habent, cum ſit ab inteſtinis ſeparata, nec ullam habeat fiſtulam, qua ex illis urinam trahat, completur tamen, & humore diſtenditur. Id quomodo fiat, non eſt difficile pervidere. Inteſtinorum enim partes, quæ ab alvo cibum potumque ſuſcipiunt, patentiores ſunt quam cæteræ ſpiræ, & multo tenuiores. Hæ veſicam circumplectuntur, & continent: ad quas partes cum potus & cibus miſta pervenerint, fimum quidem craſſius fit, & tranſmeat, humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur, eumque veſica, cujus æque tenuis ſubtilisque membrana eſt, abſorbet, & colligit, ut foras, qua natura exitum patefecit emittat.

---

## CAPUT XII.

### *De utero, conceptione, atque ſexibus.*

De utero quoque, & conceptione, quoniam de internis loquimur dici neceſſe eſt, ne quid præ-

teriſſe videamur: quæ quanquam in operto latent, ſenſum tamen atque intelligentiam latere non poſſunt. Vena in maribus, quæ ſeminium continet, duplex eſt, paulo interior quam illud humoris obſcœni receptaculum. Sicut enim renes duo ſunt, ita teſtes, ita & venæ ſeminales duæ, in una tamen compage cohærentes; quod videmus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt: ſed illa texterior maſculinum continet ſemen, ſiniſterior fœmininum; & omnino in toto corpore pars dextra maſculina eſt, ſiniſtra vero fœminina. Ipſum ſemen quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni corpore ad venam genitalem confluere, ibique concreſcere. Sed hoc humana mens, quomodo fiat, non poteſt comprehendere. Item in fœminis uterus in duas ſe dividit partes, quæ in diverſum diffuſæ ac reflexæ, circumplicantur, ſicut arietis cornua. Quæ pars in dextram retorquetur, maſculina eſt; quæ in ſiniſtram, fœminina.

Conceptum igitur Varro & Ariſtoteles ſic fieri arbitrantur. Aiunt non tantum maribus ineſſe ſemen, verum etiam fœminis, & inde plerumque matribus ſimiles procreari: ſed earum ſemen ſanguinem eſſe purgatum, quod ſi recte cum virili miſtum ſit, utraque concreta & ſimul coagulata informari: & primum quidem cor hominis effingi, quod in eo ſit & vita omnis & ſapientia; denique totum opus quadrageſimo die conſummari. Ex abortionibus hæc fortaſſe collecta ſunt. In avium tamen fœtibus primum oculos fingi, dubium non eſt, quod in ovis ſæpe deprehendimus. Unde fieri non poſſe arbitror, quin fictio a capite ſumat exordium.

Similitudines autem in corporibus filiorum ſic fieri putant. Cum ſemina inter ſe permiſta coaleſcunt, ſi virile ſuperaverit, patri ſimilem provenire, ſeu marem, ſeu fœminam; ſi muliebre prævaluerit, progeniem cujusque ſexus ad imaginem reſpondere maternam.

nam. Id autem prævalet e duobus, quod fuerit uberius; alterum enim quodammodo amplectitur & includit: hinc plerumque fieri, ut unius tantum lineamenta prætendat. Si vero æqua fuerit ex pari ſemente permiſtio, figuras quoque miſceri; ut ſoboles illa communis, aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet, aut utrumque, quia partem de ſingulis mutuata eſt. Nam in corporibus animalium videmus, aut confundi parentum colores, ac fieri tertium neutri generantium ſimile; aut utriusque ſic exprimi, ut diſcoloribus membris per omne corpus concors miſtura varietur. Diſpares quoque naturæ hoc modo fieri putantur. Cum forte in lævam uteri partem maſculinæ ſtirpis ſemen inciderit, marem quidem gigni opinatio eſt: ſed quia ſit in fœminina parte conceptus, aliquid in ſe habere fœmineum, ſupra quam decus virile patiatur; vel formam inſignem, vel nimium candorem, vel corporis levitatem, vel artus delicatos, vel ſtaturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura. Item, ſi partem in dextram ſemen fœminini ſexus influxerit, fœminam quidem procreari: ſed quoniam in maſculina parte concepta ſit, habere in ſe aliquid virilitatis, ultra quam ſexus ratio permittat; aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuſcum colorem, aut hiſpidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robuſtam, aut animum audacem, aut ex his plura.

Si vero maſculinum in dexteram, fœmininum in ſiniſtram pervenerit, utroſque fætus recte provenire; ut & fœminis per omnia naturæ ſuæ decus conſtet, & maribus tam mente, quam corpore robur virile ſervetur. Iſtud vero ipſum quam mirabile inſtitutum Dei, quod & conſervationem generum ſingulorum, duos ſexus maris ac fœminæ machinatus eſt; quibus inter ſe per voluptatis illecebras copu-

latis, ſucceſſiva ſoboles pareretur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret. Sed plus roboris maribus attributum eſt, quo facilius ad patientiam jugi maritalis fœminæ cogerentur. Vir itaque nominatus eſt, quod major in eo vis eſt, quam in fœmina; & hinc virtus nomen accepit. Item mulier, ut Varro interpretatur, a mollitie, immutata & detracta littera, velut mollier; cui ſuſcepto fœtu, cum partus appropinquare jam cœpit, turgeſcentes mammæ dulcibus ſuccis diſtenduntur, & ad nutrimenta naſcentis fontibus lacteis fœcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud, quam ut ſapiens animal a corde alimoniam duceret. Idque ipſum ſolertiſſime comparatum eſt, ut candens ac pinguis humor teneritudinem novi corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos, & dentibus inſtruatur, & viribus roboretur. Sed redeamus ad propoſitum, ut cætera, quæ ſuperſunt, breviter explicemus.

## CAPUT XIII.

*De Membris inferioribus.*

Poteram nunc ego ipſorum quoque genitalium membrorum mirificam rationem tibi exponere, niſi me pudor ab hujuſmodi ſermone revocaret: itaque a nobis indumento verecundiæ, quæ ſunt pudenda, velentur. Quod ad hanc rem attinet, queri ſatis eſt, homines impios, ac profanos, ſummum nefas admittere, qui divinum & admirabile Dei opus, ad propagandam ſucceſſionem inexcogitabili ratione proviſum & effectum, vel ad turpiſſimos quæſtus, vel ad obſcœnæ libidinis pudenda opera convertunt; ut jam nihil aliud ex re ſanctiſſima petant, quam inanem & ſterilem voluptatem. Quid reliquæ corporis partes, num carent ratione, ac pulcritudine? Conglobata

in

in nates caro, quam ſedendi officio apta! & eadem firmior, quam in ceteris membris, ne premente corporis mole oſſibus cederet. Item feminum deducta, & latioribus toris valida longitudo, quo facilius onus corporis ſuſtineret; quam paulatim deficientem in anguſtum genua determinant, quorum decentes nodi flexuram pedibus, ad gradiendum ſedendumque aptiſſimam, præbent. Item crura non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes, ſed teretibus ſuris clementer extantibus, ſenſimque tenuatis, & firmata ſunt & ornata.

In plantis vero eadem quidem, ſed tamen longe diſpar, quam in manibus ratio eſt: quæ quoniam totius corporis quaſi fundamenta ſunt, mirificus eas artifex non rotunda ſpecie, ne homo ſtare non poſſet, aut aliis ad ſtandum pedibus indigeret, ſicut quadrupedes, ſed porrectiores, longioresque formavit, ut ſtabile corpus efficerent planicie ſua; unde illis inditum nomen eſt. Digiti æque totidem, quot in manibus, ſpeciem magis, quam uſum majorem præferentes, ideoque & juncti, & breves, & gradatim compoſiti: quorum qui eſt maximus, quoniam illum ſicut in manu diſcerni a ceteris opus non erat; ita in ordinem redactus eſt, ut tamen ab aliis magnitudine, ac modico intervallo diſtare videatur. Hæc eorum ſpecioſa germanitas, non levi adjumento niſum pedum firmat; concitari enim ad curſum non poſſumus, niſi digitis in humum preſſis, ſoloque nitentibus, impetum ſaltumque capiamus. Explicaſſe videor omnia, quorum ratio intelligi poteſt. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia, vel obſcura ſunt.

## CAPUT XIV.

*De inteſtinorum quorumdam ignota ratione.*

Multa eſſe conſtat in corpore, quorum vim, rationemque perſpicere nemo, niſi qui fecit, poteſt. An aliquis enarrare ſe putat poſſe, quid utilitatis quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua circumretitur alvus, ac tegitur? Quid renum gemina ſimilitudo? quos ait Varro ita dictos, quod rivi ab his obſcœni humoris oriantur: quod eſt longe ſecus, quia ſpinæ altrinſecus ſupini cohærent, & ſunt ab inteſtinis ſeparati. Quid ſplen? quid jecur? quæ viſcera quaſi ex conturbato ſanguine videntur eſſe concreta: quid fellis amariſſimus liquor? quid globus cordis? Niſi forte illis credendum putabimus, qui affectum iracundiæ in felle conſtitutum putant, pavoris in corde, in ſplene lætitiæ. Ipſius autem jecoris officium volunt eſſe, ut cibos in alvo concoquat amplexu & calefactu ſuo: quidam libidines rerum Venerearum in jecore contineri arbitrantur.

Primum iſta perſpicere acumen humani ſenſus non poteſt; quia horum officia in operto latent, nec uſus ſuos patefacta demonſtrant. Nam ſi ita eſſet, fortaſſe placidiora quæque animalia, vel nihil fellis omnino, vel minus haberent, quam feræ; timidiora, plus cordis, ſalaciora, plus jecoris, laſciviora, plus ſplenis habuiſſent. Sicuti igitur nos ſentimus, audire auribus, oculis cernere, naribus odorare: ita profecto ſentiremus, nos felli iraſci, jecore cupere, ſplene gaudere. Cum autem, unde affectus iſti veniant, minime ſentiamus, fieri poteſt, ut aliunde veniant, & aliud viſcera illa, quam ſuſpicamur, efficiant. Nec tamen convincere poſſumus, falſa illos, qui hæc diſputant, dicere. Sed omnia, quæ ad motus animi animæque pertineant, tam obſcuræ altæque

ratio-

rationis eſſe arbitror, ut ſupra hominem ſit, ea liquido pervidere. Id tamen certum & indubitatum eſſe debet, tot res, tot viſcerum genera, unum & idem habere officium, ut animam contineant in corpore. Sed quid proprie muneris ſingulis ſit injunctum, quis ſcire, niſi artifex, poteſt, cui ſoli opus ſuum notum eſt?

## CAPUT XV.

### *De Voce.*

De voce autem quam rationem reddere poſſumus? Grammatici quidem ac philoſophi vocem eſſe definiunt, aerem ſpiritu verberatum: unde verba ſunt nuncupata, quod perſpicue falſum eſt. Non enim vox extra os gignitur, ſed intra; & ideo veriſimilior eſt illa ſententia, ſtipatum ſpiritum, cum obſtantia faucium fuerit illiſus, ſonum vocis exprimere: veluti cum in patentem cicutam, labroque ſubjectam demittimus ſpiritum, & is cicutæ concavo repercuſſus ac revolutus a fundo, dum ad deſcendentem occurſu ſuo redit, ad exitum nitens, ſonum gignit, & in vocalem ſpiritum reſiliens per ſe ventus animatur. Quod quidem an verum ſit, Deus artifex viderit. Videtur enim non ab ore, ſed ab intimo pectore vox oriri. Denique & ore clauſo, ex naribus emittitur ſonus qualis poteſt. Præterea & maximo ſpiritu, quo anhelamus, vox non efficitur, & levi, & non coarctato ſpiritu, quoties volumus, efficitur. Non eſt igitur comprehenſum, quomodo fiat, aut quid ſit omnino. Nec me nunc in Academiæ ſententiam delabi putes, quia non omnia ſunt incomprehenſibilia. Ut enim fatendum eſt multa neſciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere: ſic tamen multa eſſe, quæ poſſint & ſenſibus percipi, & ratione

comprehendi. Sed erit nobis contra philoſophos integra diſputatio. Conficiamus igitur ſpatium, quod nunc decurrimus.

## CAPUT XVI.

### *De mente, & ejus ſede.*

Mentis quoque rationem incomprehenſibilem eſſe, quis neſciat, niſi qui omnino illam non habet; cum ipſa mens quo loco ſit, aut cujusmodi, neſciatur? Varia ergo a philoſophis de natura ejus, ac loco diſputata ſunt. At ego non diſſimulabo, quid ipſe ſentiam; non quia ſic eſſe affirmem, quod eſt inſipientis in re dubia facere, ſed ut expoſita rei difficultate, intelligas, quanta ſit divinorum operum magnitudo. Quidam ſedem mentis in pectore eſſe voluerunt. Quod ſi ita eſt, quanto tandem miraculo dignum eſt, rem in obſcuro ac tenebroſo habitaculo ſitam, in tanta rationis atque intelligentiæ luce verſari? tum quod ad eam ſenſus ex omni corporis parte conveniunt, ut in qualibet regione membrorum præſens eſſe videatur. Alii ſedem ejus in cerebro eſſe dixerunt. Et ſane argumentis probabilibus uſi ſunt: oportuiſſe ſcilicet, quod totius corporis regimen haberet, potius in ſummo, tanquam in arce habitare; nec quidquam eſſe ſublimius, quam id, quod univerſum ratione moderetur, ſicut ipſe mundi Dominus & rector in ſummo eſt. Deinde quod ſenſus omnis, id eſt audiendi, & videndi, & odorandi miniſtra membra in capite ſint locata, quorum omnium viæ non ad pectus, ſed ad cerebrum ferant: alioqui neceſſe nos eſſet tardius ſentire, donec ſentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus usque deſcenderet. Ii vero aut non multum, aut fortaſſe non errant.

Vide-

Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in ſummo capite conſtituta, tanquam in cœlo Deus: ſed cum in aliqua ſit cogitatione, commeare ad pectus, & quaſi ad ſecretum aliquod penetrale ſecedere, ut conſilium, tanquam ex theſauro recondito, eliciat ac proferat; ideoque cum intenti ad cogitandum ſumus, & cum mens occupata in altum ſe abdiderit; neque audire quæ circumſonant, neque videre, quæ obſtant, ſolemus. Id vero ſive ita eſt, admirandum profecto eſt, quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat. Sin autem non eſt ita, tamen nihilominus admirandum eſt, quod divina neſcio qua ratione fiat, ut ita eſſe videatur. An poteſt aliquis non admirari, quod ſenſus ille vivus atque cœleſtis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis eſt, ut ne tum quidem, cum ſopitus eſt, conquieſcat; tantæ celeritatis, ut uno temporis puncto cœlum omne colluſtret, &, ſi velit, maria pervolet, terras, ac urbes peragret, omnia denique, quæ libuerit, quamvis longe lateque ſummota ſint, in conſpectu ſibi ipſe conſtituat?

Et miratur aliquis, ſi divina mens Dei per univerſas mundi partes intenta diſcurrit, & omnia regit, omnia moderatur, ubique præſens, ubique diffuſa; cum tanta ſit vis ac poteſtas mentis humanæ intra mortale corpus incluſæ, ut ne ſeptis quidem gravis hujus ac pigri corporis, cui alligata eſt, coerceri ullo pacto poſſit, quominus ſibi liberam vagandi facultatem, quietis impatiens, largiatur? Sive igitur in capite mens habitat, ſive in pectore, poteſtne aliquis comprehendere, quæ vis rationis efficiat, ut ſenſus ille incomprehenſibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo ſanguine bipartito, qui eſt incluſus in corde? ac non ex eo ipſo colligat, quanta ſit Dei poteſtas, quod animus ſe ipſum non videt, aut qualis,

aut ubi ſit; nec ſi videat, tamen perſpicere poſſit, quo pacto rei corporali res incorporalis adjuncta ſit? Sive etiam mentis locus nullus eſt, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrit, quod & fieri poteſt, & a Xenocrate Platonis diſcipulo diſputatum eſt, ſiquidem ſenſus in qualibet parte corporis præſto eſt, nec quid ſit mens ipſa, nec qualis intelligi poteſt, cum ſit natura ejus tam ſubtilis ac tenuis, ut ſolidis viſceribus infuſa, vivo, & quaſi ardenti ſenſu, membris omnibus miſceatur.

Illud autem cave, ne unquam ſimile veri putaveris, quod Ariſtoxenus dixit: Mentem omnino nullam eſſe; ſed quaſi harmoniam in fidibus, ex conſtructione corporis, & compagibus viſcerum vim ſentiendi exiſtere. Muſici enim intentionem concentumque nervorum in integros modos, ſine ulla offenſione conſonantium, harmoniam vocant. Volunt igitur animum ſimili ratione conſtare in homine, qua & concors modulatio conſtat in fidibus; ſcilicet, ut ſingularum corporis partium firma conjunctio, membrorumque omnium conſentiens in unum vigor, motum illum ſenſibilem faciat, animumque concinnet, ſicut ſunt nervi bene intenti ad conſpirantem ſonum. Et ſicut in fidibus, cum aliquid aut interruptum, aut relaxatum eſt, omnis canendi ratio turbatur, & ſolvitur: ita corpore, cum pars aliqua membrorum duxerit vitium, deſtrui univerſa, corruptisque omnibus atque turbatis, occidere ſenſum, eamque mortem vocari. Verum ille, ſi quidquam mentis habuiſſet, non harmoniam de fidibus ad hominem tranſtuliſſet. Non enim canere ſua ſponte fides poſſunt, ut ſit ulla in his comparatio ac ſimilitudo viventis: animus autem ſua ſponte & cogitat; & movetur. Quod ſi quid in nobis harmoniæ ſimile eſſet, ictu moveretur externo, ſicut nervi manibus, qui ſine tactu arti-

artificis pulſuque digitorum, muti atque inertes jacent. Sed nimirum pulſandus ille manu fuit, ut aliquando ſentiret; quia mens ejus ex membris male compacta torpebat.

---

## CAPUT XVII.

### *De Anima, deque ea ſententia Philoſophorum.*

Supereſt de anima dicere; quamquam percipi ratio ejus & natura non poſſit. Nec ideo tamen immortalem eſſe animam non intelligimus; quoniam quidquid viget, moveturque per ſe ſemper, nec videri, aut tangi poteſt, æternum ſit neceſſe eſt. Quid autem ſit anima, nondum inter philoſophos convenit, nec unquam fortaſſe conveniet. Etenim alii ſanguinem eſſe dixerunt, alii ignem, alii ventum; unde anima, vel animus nomen accepit, quod Græce ventus *ἄνεμος* dicitur: nec illorum tamen quiſquam dixiſſe aliquid videtur. Non enim, ſi anima ſanguine aut per vulnus effuſo, aut febrium calore conſumpto, videtur extingui, continuo in materia ſanguinis animæ ratio ponenda eſt: veluti ſi veniat in quæſtionem, lumen quo utimur, quid ſit, & reſpondeatur oleum eſſe, quoniam conſumpto illo, lumen extinguitur; cum ſint utique diverſa, ſed alterum ſit alterius alimentum. Videtur ergo anima ſimilis eſſe lumini, quæ non ipſa ſit ſanguis, ſed humore ſanguis alatur, ut lumen oleo.

Qui autem ignem putaverunt, hoc uſi ſunt argumento, quod præſente anima corpus caleat, recedente frigeſcat. Sed ignis & ſenſu indiget, & videtur, & tactu comburit. Anima vero & ſenſu aucta eſt, & videri non poteſt, & non adurit. Unde apparet

paret, animam neſcio quid eſſe Deo ſimile. At illi, qui ventum putant, hoc falluntur, quod ex aerc ſpiritum ducentes, vivere videamur. Varro ita definit: „Anima eſt aer conceptus ore, tepefactus in „pulmone, fervefactus in corde, diffuſus in cor„pus.“ Hæc apertiſſime falſa ſunt. Neque enim tam obſcuram nobis hujusmodi dico eſſe rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum eſſe non poſſit. An ſi mihi quis dixerit, æneum eſſe cœlum, aut vitreum, aut, ut Empedocles ait, aerem glaciatum, ſtatimne aſſentiar, quia cœlum ex qua materia ſit ignorem? Sicut enim hoc neſcio, ita illud ſcio. Anima ergo non eſt aer ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer ore poſſit. Non enim poſt partum inſinuatur in corpus, ut quibusdam philoſophis videtur, ſed poſt conceptum protinus, cum fœtum in utero neceſſitas divina formavit; quia adeo vivit intra viſcera genitricis, ut & incremento augeatur, & crebris pulſibus geſtiat emicare. Denique abortum fieri neceſſe eſt, ſi fuerit animal intus extinctum. Cæteræ definitionis partes eo ſpectant, ut illis novem menſibus, quibus in utero fuimus, mortui fuiſſe videamur. Nulla ergo ex his tribus vera ſententia eſt. Nec tamen in tantum falſos eſſe dicendum eſt, qui hæc ſenſerunt, ut omnino nihil dixerint; nam & ſanguine ſimul, & calore, & ſpiritu vivimus. Sed cum conſtet anima in corpore his omnibus adunatis, non expreſſerunt proprie quid eſſet, quia tam non poteſt exprimi, quam videri.

CAPUT

## CAPUT XVIII.

*De anima & animo, eorumque affectionibus.*

Sequitur alia, & ipſa inextricabilis quæſtio: idemne ſit anima, & animus; an vero aliud ſit illud, quo vivimus, aliud autem, quo ſentimus & ſapimus. Non deſunt argumenta in utramque partem. Qui enim unum eſſe dicunt, hanc rationem ſequuntur, quod neque vivi ſine ſenſu poſſit, neque ſentiri ſine vita; ideoque non poſſe eſſe diverſum id, quod non poteſt ſeparari, ſed quidquid eſt illud, & vivendi officium, & ſentiendi habere rationem. Idcirco animum & animam indifferenter appellant duo Epicurei poetæ. Qui autem dicunt eſſe diverſa, ſic argumentantur: ex eo poiſſe intelligi, aliud eſſe mentem, aliud animam, quia incolumi anima mens poſſit extingui, quod accidere ſoleat inſanis; item, quod anima morte ſopiatur, animus ſomno, & quidem ſic, ut non tantum, quid fiat, aut ubi ſit, ignoret, ſed etiam rerum falſarum contemplatione fallatur. Quod ipſum quomodo fiat, non poteſt pervideri; cur fiat, poteſt. Nam requieſcere nullo pacto poſſumus, niſi mens viſionem imaginibus occupata teneatur. Latet autem mens oppreſſo ſomno, tamquam ignis obducto cinere ſopitus, quem ſi paululum commoveris, rurſus ardeſcit, & quaſi evigilat. Avocatur ergo ſimulacris, donec membra ſopore irrigata vegetentur; corpus enim, vigilante ſenſu, licet jaceat immobile, tamen non eſt quietum, quia flagrat in eo ſenſus, & vibrat ut flamma, & artus omnes ad ſe adſtrictos tenet.

Sed poſtquam mens ad contemplandas imagines ab intentione traducta eſt, tunc demum corpus omne reſolvitur in quietem. Traducitur autem mens cogi-

tatio-

tatione cæca, cum cogentibus tenebris ſecum tantummodo eſſe cœperit: dum intenta eſt in ea, de quibus cogitat, repente ſomnus obrepit, & in ſpecies proximas ſenſim ipſa cogitatio declinat: ſic ea, quæ ſibi ante oculos poſuerat, videre quoque incipit. Deinde procedit ulterius, & ſibi avocamenta invenit, ne ſaluberrimam quietem corporis interrumpat. Nam ut mens per diem veris viſionibus avocatur, ne obdormiat: ita falſis nocte, ne excitetur. Nam ſi nullas imagines cernat, aut vigilare illam neceſſe erit, aut perpetua morte ſopiri. Dormiendi ergo cauſâ tributa eſt a Deo ratio ſomniandi; & quidem in commune univerſis animantibus: ſed illud homini præcipue, quod cum eam rationem Deus quietis cauſa daret, facultatem ſibi reliquit docendi hominem futura per ſomnium. Nam & hiſtoriæ ſæpe teſtantur, extitiſſe ſomnia, quorum præſens & admirabilis fuerit eventus; & reſponſa vatum noſtrorum ex parte ſomnii conſtiterunt. Quare neque ſemper vera ſunt, neque ſemper falſa, Virgilio teſte, qui duas portas voluit eſſe ſomniorum. Sed quæ falſa ſunt, dormiendi cauſa videntur; quæ vera, immittuntur a Deo, ut imminens bonum aut malum hac revelatione diſcamus.

## CAPUT XIX.

*De anima, eaque a Deo data.*

Illud quoque venire in quæſtionem poteſt, utrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Sed ego id in eo jure ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum eſt, quia neque ex utroque, neque ex alterutro ſeruntur animæ.

animæ. Corpus enim ex corporibus naſci poteſt, quoniam confertur aliquid ex utroque; de animis anima non poteſt, quia ex re tenui & incomprehenſibili nihil poteſt decedere. Itaque ſerendarum animarum ratio uni ac ſoli Deo ſubjacet.

*Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:*
*Omnibus ille idem pater eſt.*

ut ait Lucretius. Nam de mortalibus non poteſt quidquam niſi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudiſſe, aut inſpiraſſe animam de ſuo nullo modo ſentit; nec, ſi ſentiat, quando tamen, aut quomodo id fiat, habet animo comprehenſum.

Ex quo apparet, non a parentibus dari animas, ſed ab uno eodemque omnium Deo patre, qui legem rationemque naſcendi tenet ſolus, ſiquidem ſolus efficit. Nam terreni parentis nihil eſt, niſi ut humorem corporis, in quo eſt materia naſcendi, cum ſenſu voluptatis emittat, vel recipiat; & citra hoc opus homo reſiſtit, nec amplius quidquam poteſt: & ideo naſci ſibi filios optant, quia non ipſi faciunt. Cætera jam Dei ſunt omnia, ſcilicet conceptus ipſe, & corporis informatio, & inſpiratio animæ, & partus incolumis, & quæcumque deinceps ad hominem conſervandum valent; illius munus eſt, quod ſpiramus, quod vivimus, quod vigemus. Nam præterquam quod ipſius beneficio incolumes ſumus corpore, & quod victum nobis ex variis rebus ſubminiſtrat, ſapientiam quoque homini tribuit, quam terrenus pater dare nullo modo poteſt. Ideoque & de ſapientibus ſtulti, & de ſtultis ſapientes ſæpe naſcuntur; quod quidam fato, ac ſideribus aſſignant. Sed non eſt nunc locus de fato diſſerendi. Hoc dicere ſatis eſt, quod etiamſi aſtra efficientiam rerum continent, nihilominus a Deo omnia fieri certum eſt, qui aſtra ipſa &

per-

perfecit, & ordinavit. Inepti ergo, qui hanc poteſtatem Deo detrahunt, & operi ejus attribuunt.

Hoc igitur Dei munere cœleſti atque præclaro, an utamur, an non utamur, in noſtra eſſe voluit poteſtate. Hoc enim conceſſo, ipſum hominem virtutis ſacramento religavit, quo vitam poſſet adipiſci. Magna eſt enim vis hominis, magna ratio, magnum ſacramentum: a quo ſi quis non defecerit, nec fidem ſuam devotionemque prodiderit; hic beatus, hic denique, ut breviter finiam, ſimilis Deo ſit, neceſſe eſt. Errat enim quiſquis hominem carne metitur. Nam corpuſculum hoc, quo induti ſumus, hominis receptaculum eſt. Nam ipſe homo neque tangi, neque aſpici, neque comprehendi poteſt, quia latet intra hoc quod videtur. Qui ſi delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quam ratio ejus expoſcit, ſi virtute contempta, deſideriis ſe carnis addixerit, cadet, & premetur in terram. Sin autem, ut debet, ſtatum ſuum, quem rectum recte ſortitus eſt, prompte conſtanterque defenderit, ſi terræ quam calcare ac vincere debet, non ſervierit, vitam merebitur ſempiternam.

---

## CAPUT XX.

### *De ſeipſo, & veritate.*

HÆc ad te, Demetriane, interim paucis, & obſcurius fortaſſe quam decuit, pro rerum ac temporis neceſſitate peroravi; quibus contentus eſſe debebis, plura, & meliora laturus, ſi nobis indulgentia cœlitus venerit. Tunc ergo te ad veræ philoſophiæ doctrinam, & planius, & verius cohortabor. Statui enim, quam multa potero, litteris tradere, quæ ad

vitæ

vitæ beatæ ſtatum ſpectent; & quidem contra philoſophos, quoniam ſunt ad perturbandam veritatem pernicioſi & graves. Incredibilis enim vis eloquentiæ, & argumentandi diſſerendique ſubtilitas quemvis facile deceperit: quos partim noſtris armis, partim vero ex ipſorum inter ſe concertatione ſumptis revincemus; ut appareat, eos induxiſſe potius errorem, quam ſuſtuliſſe.

Fortaſſe mireris, quod tantum facinus audeam. Patiemurne igitur extingui, aut opprimi veritatem? Ego vero libentius vel ſub hoc onere defecerim. Nam ſi Marcus Tullius, eloquentiæ ipſius unicum exemplar, ab indoctis & ineloquentibus, qui tamen pro vero nitebantur, ſæpe ſuperatus eſt, cur deſperemus veritatem ipſam contra fallacem captioſamque facundiam ſua propria vi & claritate valituram? Illi quidem ſeſe patronos veritatis profiteri ſolent: ſed quis poteſt eam rem defendere, quam non didicit, aut illuſtrare apud alios, quod ipſe non novit? Magnum videor polliceri: ſed cœleſti opus eſt munere, ut nobis facultas ac tempus ad propoſita perſequenda tribuatur. Quod ſi vita eſt optanda ſapienti, profecto nullam aliam ob cauſam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam quod vita dignum ſit, & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ rivus eſt, ad vivendum tamen afferat: quod eſt maxime neceſſarium. Quo perfecto, ſatis me vixiſſe arbitrabor, & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleſte direxerit.

# LACTANTII LIBER DE IRA DEI, AD DONATUM.

## *ANALYSIS.*

QUÆSTIO hujus libri: *An Deus vere iraſcatur?*

Philoſophi nonnulli negarunt, eo quod Deum vel beneficam eſſe tantum naturam, vel nihil omnino curare ſtatuerent. Lactantius contra, Deum vere iraſci hoc libro demonſtrat his argumentis:

I. Aut ira tribuenda eſt Deo, & gratia detrahenda; aut utrumque detrahendum: aut ira demenda eſt, & gratia tribuenda; aut utrumque tribuendum.

Primum falſum eſt, quia nemo de Deo unquam dixit, iraſci eum tantummodo, & gratia non moveri. Alterum eſt Epicureum. Statuit enim Epicurus, nec iram in Deo eſſe, nec gratiam, ut qui nihil omnino curet: ſed falſo; Deus enim non eſſet, niſi moveretur: nec dignior Deo adminiſtratio aſſignari poteſt, quam mundi gubernatio. Nulla etiam beatitudo eſt rei immobilis. Tertium eſt Stoicum, gratiam in Deo eſſe, iram non eſſe: falſum id quoque. Nam ſi Deus non iraſcitur impiis, nec pios diligit.

Relinquitur igitur quartum, quod eſt verum, nempe iram & gratiam Deo tribuendam, *cap.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

II. Quæcumque opinio tollit Religionem, vana eſt & falſa:

Opinio quæ Deo ſive gratiam, ſive iram, ſive utrumque detrahit, tollit Religionem;

Igitur opinio illa vana eſt & falſa.

Majo-

Majorem probat, *cap.* 7. Religionem nempe non poſſe diſſolvi, quia ſit propria hominis.

Minorem confirmat, *cap.* 8. Si enim Deus nihil cuiquam boni tribuit, ſtultum eſt eum colere.

Excipiunt quidam: *Prodeſſe quidem hoc credere, ſed utilitatis, non veritatis gratia, ut conſcientiæ terreantur, quas leges punire poſſunt.*

Lactantius negat hoc; & Religionem, non utilitatis tantum, ſed veritatis gratia fuiſſe inſtitutam, aſſerit *cap.* 9. 10. 11.

III. Si in rebus humanis ſunt bona & mala, neceſſe eſt ad utramque partem moveri Deum, & ad gratiam, cum juſta fieri videt, & ad iram, cum cernit injuſta.

Verum prius, quod oſtenditur *cap.* 13. 14. 15.

Igitur & poſterius.

Objectio Epicuri: *Si eſt in Deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odii ad iram, habebit igitur & timorem, & libidinem, & cupiditatem.*

Reſpon. Non ſequitur: quia gratia & ira, & miſeratio habent in Deo materiam, id eſt, cauſam, reliqui affectus non habent: quibus vacat Deus, quia vitiorum affectus ſunt, alios ſicut hos habet, quia ſunt virtutis, *cap.* 16.

Objectio alia: *Deus ideo beatus eſt, quia ſemper quietus. Igitur nec iraſcitur, nec gratia commovetur.*

Reſpondet Lactantius, Deum non eſſe quietum, quia nec dormiat, nec moriatur. Curare igitur eum hominum vitam, & vi conſequentis iraſci malis, favere bonis. Deinde, ſicut crudelitatis eſt potius, quam pietatis, ſi quis homo contumelias non vindicet: ita, inquit, non virtutis eſt in Deo, ad ea, quæ injuſte fiunt, non commoveri, *cap.* 17.

Objectio: *Atqui Deus ſine hoc affectu peccata poteſt corrigere.*

Reſpon. Ipſe peccati adſpectus indignus eſt. Nam qui non movetur, omnino aut probat delicta, aut moleſtiam caſtigandi fugit, quorum utrumque eſt vitioſum. Hoc loco reprehendit dictum Architæ Tarentini, qui cum in agro corrupta eſſe omnia comperiſſet, villici ſui culpam redarguens miſerum dixit, quem jam verberibus necaſſem, niſi iratus eſſem. Nam propter iræ magnitudinem pœnam non donandam, ſed differendam fuiſſe docet *cap.* 18.

IV. Si Deus ſanctiſſimam vivendi legem poſuit, voluitque univerſos innocentes ac beneficos eſſe, utique non poteſt non iraſci, cum videt legem ſuam contemni.

Verum prius;

Ergo & poſterius.

V. Si eſt mundi adminiſtrator, non utique contemnit id, quod eſt in mundo vel maximum.

VI. Si eſt pater ac Deus univerſorum, certe & virtutibus hominum delectatur, & vitiis commovetur;

Ergo & juſtos diligit, & impios odit, *cap.* 19.

VII. Si poteſt ignoſcere, poteſt iraſci:

Sed poteſt ignoſcere, quia eſt legis ſuæ ipſe diſceptator & judex; Poteſt igitur & iraſci, *cap.* 20.

Objiciebant: *Cur ergo qui peccant, ſæpe felices ſunt, & qui pie vivunt, ſæpe miſeri?*

Reſp. Quia fugitivi & abdicati libere vivunt, ſtrictius autem & frugalius, qui ſub diſciplina patris ſunt. Deinde quia virtus per mala probatur, vitia per voluptatem. Præterea non eſt perpetua felicitas malorum.

Inſtantia: *Si iraſcitur Deus, ſtatim debuit vindicare.*

Reſp. Si id faceret, nemo ſupereſſet, nec ex peccatoribus aliqui converterentur, *cap.* 20.

Objectio: *Deus hominem iraſci vetat in lege ſua;*

*Igitur nec ipſe iraſcitur.*

Reſp. Lex refrœnat iram hominis injuſtam; nec in totum prohibet iraſci, quia is affectus neceſſario datus eſt: ſed prohibet in ira permanere. Quin Deus præcepit iraſci; Itaque & ipſe iraſcitur, *cap.* 21.

VIII. Prophetæ univerſi divino Spiritu repleti nihil aliud, quam de gratia Dei erga juſtos, & de ira ejus adverſus impios loquuntur.

IX. Sibyllæ & ipſæ iram Deo attribuunt, Apollo item Mileſius, *cap.* 22. 23.

Conclusio ſequitur parænetica, qua hortatur univerſos, ut Deum ament, quod pater, eumdemque vereantur, quod Dominus ſit. *Scultetus.*

# CAPUT PRIMUM.

*De ſapientia divina & humana.*

Animadverti ſæpe, Donate, plurimos id exiſtimare, quod etiam nonnulli philoſophorum putaverunt, non iraſci Deum; quoniam vel benefica ſit tantummodo natura divina, nec cuiquam nocere, præſtantiſſimæ atque optimæ congruat poteſtati; vel certe nil curet omnino, ut neque ex beneficentia ejus quidquam boni perveniat ad nos, neque ex maleficentia quidquam mali. Quorum error, quia maximus eſt, & ad evertendum vitæ humanæ ſtatum ſpectat, coarguendus eſt a nobis, ne & ipſe fallaris, impulſus autoritate hominum, qui ſe putant eſſe ſapientes. Nec tamen nos tam arrogantes ſumus, ut comprehenſam noſtro ingenio veritatem gloriemur: ſed doctrinam Dei ſequimur, qui ſcire ſolus poteſt, & revelare ſecreta. Cujus doctrinæ philoſophi expertes exiſtimaverunt, naturam rerum conjectura poſſe deprehendi. Quod nequaquam fieri poteſt, quia mens hominis, tenebroſo corporis domicilio circumſepta, longe a veri perſpectione ſummota eſt, & hoc differt ab humanitate divinitas, quod humanitatis eſt ignoratio, divinitatis ſcientia.

Unde nobis aliquo lumine opus eſt ad depellendas tenebras, quibus offuſa eſt hominis cogitatio; quoniam in carne mortali agentes, noſtris ſenſibus divinare non poſſumus. Lumen autem mentis humanæ Deus eſt, quem qui cognoverit, & in pectus admiſerit, illuminato corde myſterium veritatis agnoſcet: remoto autem Deo cœleſtique doctrina, omnia erroribus plena ſunt. Recteque Socrates, cum eſſet omnium philoſophorum doctiſſimus, tamen ut cæterorum argueret inſcitiam, qui ſe aliquid tenere arbi-

trabantur, ait ſe nihil ſcire, niſi unum, quod nihil ſciret. Intellexit enim, doctrinam illam nihil habere in ſe certi, nihil veri; nec, ut putant quidam, ſimulavit ipſe doctrinam, ut alios refelleret; ſed vidit ex parte aliqua veritatem. Teſtatusque eſt etiam in judicio, ſicut traditur a Platone, quod nulla eſſet humana ſapientia: adeo doctrinam, qua tum philoſophi gloriabantur, contempſit, deriſit, abjecit, ut id ipſum pro ſumma doctrina profiteretur, quod nihil ſcire didiciſſet. Si ergo nulla eſt ſapientia humana, ut Socrates docuit, ut Plato tradidit, apparet eſſe divinam, nec ulli alii, quam Deo veritatis notitiam ſubjacere. Deus igitur noſcendus eſt, in quo ſolo veritas eſt. Ille mundi parens, & conditor rerum, qui oculis non videtur, mente vix cernitur. Cujus religio multis modis impugnari ſolet ab iis, qui neque veram ſapientiam tenere potuerunt, neque magni & cœleſtis arcani comprehendere rationem.

---

## CAPUT II.

### *De Veritate, deque ejus gradibus, atque de Deo.*

Nam cum ſint gradus multi, per quos ad domicilium veritatis aſcenditur, non eſt facile cuilibet evehi ad ſummum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui ſtabilem greſſum tenere non poſſunt, revolvuntur in planum. Primus autem gradus eſt, intelligere falſas religiones, & abjicere impios cultus Deorum humana manu fabricatorum. Secundus vero, perſpicere animo, quod unus ſit Deus ſummus, cujus poteſtas ac providentia effecerit a principio mundum, & gubernet in poſterum. Tertius, cognoſcere miniſtrum ejus ac nuntium, quem legavit in terram; quo docente ab errore, quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, juſti-

juſtitiam diſceremus. Ex quibus omnibus gradibus, ut dixi, pronus eſt lapſus & facilis ad ruinam, niſi pedes inconcuſſa ſtabilitate figantur.

De primo gradu eos excuti videmus, qui, cum falſa intelligant, tamen verum non inveniunt, contemptisque terrenis fragilibusque ſimulacris, non ad colendum ſe Deum conferunt, quem ignorant: ſed mundi elementa mirantes, cœlum, terram, mare, ſolem, lunam, cœteraque aſtra venerantur. Sed horum imperitiam jam coarguimus in ſecundo Divinarum Inſtitutionum libro. De ſecundo vero gradu eos dicimus cadere, qui cum ſentiant, unum eſſe ſummum Deum, iidem tamen a philoſophis irretiti, & falſis argumentationibus capti, aliter de unica illa majeſtate ſentiunt, quam veritas habet; qui aut figuram negant habere ullam Deum, aut nullo affectu commoveri putant, quia ſit omnis affectus imbecillitatis, quæ in Deo nulla eſt. De tertio vero ii præcipitantur, qui cum ſciant legatum Dei, eumdemque divini & immortalis templi conditorem, tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, quam fides poſcit: quos ex parte jam refutavimus in quarto ſupradicti operis libro, & refutabimus poſtea diligentius, cum reſpondere ad omnes ſectas cœperimus, quæ veritatem, dum diſputant, perdiderunt.

Nunc vero contra eos diſſeremus, qui de ſecundo gradu lapſi, prava de ſummo Deo ſentiunt. Aiunt enim quidam, nec gratificari eum cuiquam, nec iraſci; ſed ſecurum, & quietum, immortalitatis ſuæ bonis perfrui. Alii vero iram tollunt, gratiam relinquunt Deo; naturam enim ſumma virtute præſtantem, ut non maleficam, ſic beneficam eſſe debere. Ita omnes philoſophi de ira conſentiunt; de gratia diſcrepant. Sed ut ad propoſitam materiam per ordinem deſcendat oratio, hujusmodi facienda nobis, & ſequenda partitio eſt, cum diverſa & repugnantia

ſint, ira, & gratia. Aut ira tribuenda eſt Deo, & gratia detrahenda; aut utrumque pariter detrahendum. Aut ira demenda eſt, & gratia tribuenda; aut utrumque tribuendum. Aliud amplius, præter hæc, nihil poteſt capere natura, ut neceſſe ſit in uno iſtorum aliquo verum, quod quæritur, inveniri. Conſideremus ſingula, ut nos ad latebras veritatis, & ratio & ordo deducat.

---

## CAPUT III.

*De bonis & malis in rebus humanis, eorumque autore.*

Primum illud nemo de Deo dixit unquam, iraſci eum tantummodo, & gratia non moveri. Eſt enim diſconveniens Deo, ut ejusmodi poteſtate ſit præditus, qua noceat, & obſit, prodeſſe vero, ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ ſpes ſalutis hominibus propoſita eſt, ſi malorum tantummodo autor eſt Deus? Quod ſi ſit, jam majeſtas illa venerabilis, non ad judicis poteſtatem, cui licet ſervare ac liberare, ſed ad tortoris & carnificis officium deducetur. Cum autem videamus, non modo mala eſſe in rebus humanis, ſed etiam bona, utique ſi Deus eſt autor malorum, eſſe alterum neceſſe eſt, qui contraria Deo faciat, & det nobis bona. Si eſt, quo nomine appellandus eſt? aut cur nobis, qui male faciat, notior eſt, quam ille, qui bene? Si autem nihil poteſt eſſe præter Deum, abſurdum eſt & vanum, divinam putare poteſtatem, qua nihil eſt majus, nihil melius, nocere poſſe, prodeſſe non poſſe. Et ideo nemo extitit, qui auderet id dicere; quia nec rationem habet, nec ullo modo poteſt credi. Quod quia convenit, tranſeamus & veritatem alibi requiramus.

CAPUT

## CAPUT IV.

*De Deo, deque ejus affectibus; Epicurique reprehenſione.*

Quod ſequitur, de ſchola Epicuri eſt; ſicut iram in Deo non eſſe, ita nec gratiam quidem. Nam cum putaret Epicurus, alienum eſſe a Deo malefacere atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque naſcitur, ademit ei etiam beneficentiam, quoniam videbat conſequens eſſe, ut ſi habeat iram Deus, habeat & gratiam. Itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. Ex hoc, inquit, beatus & incorruptus eſt, quia nihil curat, neque habet ipſe negotium, neque alteri exhibet. Deus igitur non eſt, ſi nec movetur, quod eſt proprium viventis: nec facit aliquid impoſſibile homini, quod eſt proprium Dei, ſi omnino nullam habet voluntatem, nullum actum, nullam denique adminiſtrationem, quæ Deo digna ſit. Et quæ major, quæ dignior adminiſtratio Deo aſſignari poteſt, quam mundi gubernatio, maximeque generis humani, cui omnia terrena ſubjecta ſunt?

Quæ igitur in Deo poteſt eſſe beatitudo, ſi ſemper quietus, & immobilis torpet? ſi precantibus ſurdus, ſi colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia? Sed ſi nihil curat, nihil providet, amiſit omnem divinitatem. Qui ergo totam vim, totam Deo ſubſtantiam tollit, quid aliud dicit, niſi Deum omnino non eſſe? Denique Marcus Tullius a Poſidonio dictum refert, id Epicurum ſenſiſſe, nullos Deos eſſe, ſed ea, quæ de Diis locutus ſit, depellendæ invidiæ cauſa dixiſſe: itaque verbis illum Deos relinquere, re autem ipſa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod ſi ita eſt: quid eo fallacius? quod a ſapiente & gravi

viro debet eſſe alienum. Hic vero ſi aliud ſenſit, & aliud locutus eſt, quid aliud appellandus eſt, quam deceptor, bilinguis, malus, & propterea ſtultus? Sed non erat tam verſutus Epicurus, ut fallendi ſtudio iſta loqueretur, cum hæc etiam ſcriptis ad æternam memoriam conſignaret: ſed ignorantia veritatis erravit. Inductus enim a principio veriſimilitudine unius ſententiæ, neceſſario in ea, quæ ſequebantur, incurrit. Prima enim ſententia fuit, iram in Deum non convenire. Quod cum illi verum & inexpugnabile videretur, non poterat conſequentia recuſare, quia uno affectu amputato, etiam cæteros affectus adimere Deo neceſſitas ipſa cogebat. Ita qui non iraſcitur, utique nec gratia movetur, quod eſt iræ contrarium: jam ſi nec ira in eo, nec gratia eſt, utique nec metus, nec lætitia, nec mœror, nec miſericordia. Una eſt enim ratio cunctis affectibus, una commotio, quæ in Deum cadere non poteſt. Quod ſi nullus affectus in Deo eſt, quia quidquid afficitur, imbecillum eſt; ergo nec cura ullius rei, nec providentia eſt in eo.

Hucusque pervenit ſapientis hominis diſputatio; cætera, quæ ſequuntur, obticuit: ſcilicet, quia nec cura ſit in eo, nec providentia; ergo nec cogitationem aliquam, nec ſenſum in eo eſſe ullum: quo efficitur, ut non ſit omnino. Ita cum gradatim deſcendiſſet, in extremo gradu reſtitit, quia jam præcipitium videbat. Sed quid prodeſt reticuiſſe, ac periculum diſſimulaſſe? Neceſſitas illum vel invitum cadere coegit. Dixit enim quod noluit, quia argumentum ſic ordinavit, ut ad illud, quod evitabat, neceſſario deveniret. Vides igitur quo perveniat, ira ſublata, & Deo adempta. Denique aut nullus id credit, aut admodum pauci, & quidem ſcelerati, ac mali, qui ſperant peccatis ſuis impunitatem. Quod ſi & hoc falſum invenitur, nec iram in Deo eſſe,

nec

nec gratiam; veniamus ad illud, quod tertio loco poſitum eſt.

---

## CAPUT V.

*De Deo Stoicorum ſententia; de Ira & gratia ejus.*

Exiſtimantur Stoici, & alii nonnulli, aliquanto melius de divinitate ſenſiſſe, qui aiunt, gratiam in Deo eſſe, iram non eſſe. Favorabilis admodum, ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi puſillitatem, ut ab illo ſe læſum putet, qui lædi non poteſt; ut quieta illa, & ſancta majeſtas concitetur, perturbetur, inſaniat, quod eſt terrenæ fragilitatis. Iram enim commotionem mentis eſſe ac perturbationem, quæ ſit a Deo aliena. Quod ſi hominem quoque, qui modo ſit ſapiens & gravis, ira non deceat (ſi quidem, cum in animum cujusquam incidit, velut ſæva tempeſtas tantos excitet fluctus, ut ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens:) quanto magis Deum non deceat tam fœda mutatio? Et ſi homo, qui habet imperium ac poteſtatem, late noceat per iram, ſanguinem fundat, urbes ſubvertat, populos deleat, provincias ad ſolitudinem redigat; quanto magis Deum, qui habeat totius generis humani, & ipſius mundi poteſtatem, perditurum fuiſſe univerſa credibile ſit, ſi iraſceretur?

Abeſſe igitur ab eo tam magnum, tam pernicioſum malum oportere. Et ſi abſit ab eo ira, & concitatio, quia & deformis, & noxia eſt, nec cuiquam malefaciat, nihil aliud ſupereſſe, niſi ut ſit lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conſervator. Ita enim demum & communis omnium pater, & optimus maximus dici poterit, quod expetit divina cœleſtis-

leſtisque natura. Nam ſi inter homines laudabile videtur, prodeſſe potius, quam nocere; vivificare, quam occidere; ſalvare, quam perdere, nec immerito innocentia inter virtutes numeratur; & qui hæc fecerit, diligitur, præfertur, ornatur, benedictis omnibus votisque celebratur, denique ob merita & beneficia Deo ſimillimus judicatur; quanto magis ipſum Deum par eſt, divinis perfectisque virtutibus præcellentem, atque ab omni terrena labe ſummotum, divinis & cœleſtibus beneficiis omne genus hominum promereri? Specioſe iſta, populariterque dicuntur, & multos illiciunt ad credendum: ſed qui hæc ſentiunt, ad veritatem quidem propius accedunt; ſed in parte labuntur, naturam rei parum conſiderantes. Nam ſi Deus non iraſcitur impiis & injuſtis, nec pios utique juſtosque diligit. Ergo conſtantior eſt error illorum, qui & iram ſimul, & gratiam tollunt. In rebus enim diverſis, aut in utramque partem moveri neceſſe eſt, aut in neutram. Ita qui bonos diligit, & malos odit, & qui malos non odit, nec bonos diligit: quia & diligere bonos, ex odio malorum venit; & malos odiſſe, ex bonorum charitate deſcendit. Nemo eſt qui amet vitam ſine odio mortis, nec appetat lucem, niſi qui tenebras fugit. Adeo natura iſta connexa ſunt, ut alterum ſine altero fieri nequeat.

Si quis Dominus habens in familia ſervos, bonum ac malum, non utique aut ambos odit, aut ambos beneficiis & honore proſequitur; quod ſi faciet, & iniquus & ſtultus eſt: ſed bonum & alloquitur amice, & ornat, & domi ac familiæ ſuisque omnibus rebus præficit; malum vero maledictis, verberibus, nuditate, fame, ſiti, compedibus punit, ut & hic exemplo cæteris ſit ad non peccandum, & ille ad promerendum, ut alios metus coerceat, alios honor provocet. Qui ergo diligit, & odit; qui odit,

&

& diligit; ſunt enim, qui diligi debeant, ſunt qui odio haberi. Et ſicut is, qui diligit, confert bona in eos, quos diligit: ita qui odit, irrogat mala iis, quos odio habet; quód argumentum, quia verum eſt, diſſolvi nullo pacto poteſt. Vana ergo & falſa eſt ſententia eorum, qui cum alterum Deo tribuant, alterum detrahunt, non minus, quam illorum qui utrumque detrahunt. Sed illi, ut oſtendimus, ex parte non errant, ſed id quod melius eſt ex duobus retinent. Ii vero, quos ratio, & veritas argumenti hujus inducit, falſa omnino ſententia ſuſcepta, in maximum errorem cadunt. Non enim ſic oportebat eos argumentari: Quia Deus non iraſcitur, ergo nec gratia commovetur; ſed ita: Quia Deus gratia movetur, ergo & iraſcitur. Si enim certum & indubitatum fuiſſet, non iraſci Deum, tunc ad illud alterum veniri eſſet neceſſe. Cum autem magis ſit ambiguum de ira, pene manifeſtum de gratia; abſurdum eſt, ex incerto certum velle ſubvertere, cum ſit promptius, de certis incerta firmare.

## CAPUT VI.

### *Quod Deus iraſcitur.*

Hæ ſunt de Deo philoſophorum ſententiæ. Aliud præterea nihil quisquam dixit. Quod ſi hæc, quæ dicta ſunt, falſa eſſe deprehendimus, unum illud extremum ſupereſt, in quo ſolo poſſit veritas inveniri, quod a philoſophis nec ſuſceptum eſt unquam, nec aliquando defenſum; conſequens eſſe, ut iraſcatur Deus, quoniam gratia commovetur. Hæc tuenda nobis & aſſerenda ſententia eſt. In eo enim ſumma omnis, & cardo Religionis pietatisque verſatur. Nam neque honos ullus deberi poteſt Deo,

ſi nihil præſtat colenti, nec ullus metus, ſi non iraſcitur non colenti.

## CAPUT VII.

*De Homine & Brutis, ac Religione.*

Cum ſæpe philoſophi per ignorantiam veritatis a ratione deſciverint, atque in errores inciderint inextricabiles (id enim ſolet his evenire, quod viatori viam neſcienti & non fatenti ſe ignorare, ut vagetur, dum percontari obvios erubeſcit) illud tamen nullus philoſophus aſſeruit unquam, nihil inter hominem & pecudem intereſſe; nec omnino quiſquam, modo qui ſapiens videri vellet, rationale animal cum mutis & irrationabilibus coæquavit: quod faciunt quidam imperiti, atque ipſis pecudibus ſimiles, qui cum ventri ac voluptati ſe velint tradere; aiunt, eadem ratione ſe natos, qua univerſa quæ ſpirant; quod dici ab homine nefas eſt. Quis enim tam indoctus eſt, ut neſciat, quis tam imprudens, ut non ſentiat, aliquid ineſſe in homine divini? Nondum venio ad virtutes animi & ingenii, quibus homini cum Deo manifeſta cognatio eſt. Nonne ipſius corporis ſtatus & oris figura declarat, non eſſe nos cum mutis pecudibus æquales? Illarum natura in humum pabulumque proſtrata eſt; nec habet quidquam commune cum cœlo, quod non intuetur. Homo autem recto ſtatu, ore ſublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum; & rationem ratio cognoſcit.

Propterea nullum eſt animal, ut ait Cicero, præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim ſapientia inſtructus eſt, ut Religionem ſolus intelligat; & hæc eſt hominis atque mutorum, vel præcipua, vel ſola diſtantia. Nam cæ-

tera,

tera, quæ videntur hominis eſſe propria, etſi non ſint talia in mutis, tamen ſimilia videri poſſunt. Proprius homini ſermo eſt: tamen & in illis quædam ſimillitudo ſermonis. Nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus; &, cum iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem; &, cum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ: ſed ipſis, quæ ſe intelligunt, verba ſunt; denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant. Riſus quoque eſt homini proprius; & tamen videmus in aliis animalibus quædam ſigna lætitiæ, cum ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt. Quid tam proprium homini, quam ratio, & providentia futuri? Atqui ſunt animalia, quæ latibulis ſuis diverſos & plures exitus pandant, ut ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis; quod non facerent, niſi ineſſet illis intelligentia & cogitatio. Alia provident in futurum; ut

*—— Ingentem formicæ farris acervum*
*Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt;*

ut apes, quæ

*— Patriam ſolæ, & certos novere penates,*
*Venturæque hyemis memores, æſtate laborem*
*Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.*

Longum eſt, ſi exequi velim, quæ a ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanæ ſolertiæ ſimillima. Quod ſi horum omnium, quæ adſcribi homini ſolent, in mutis quoque deprehenditur ſimilitudo, apparet ſolam eſſe Religionem, cujus in mutis nec veſtigium aliquod, nec ulla ſuſpicio inveniri poteſt. Religionis enim eſt propria juſtitia, quam nullum aliud

aliud animal attingit. Homo enim ſolus imperat; cætera ſibi conciliata ſunt. Juſtitiæ autem Dei cultus adſcribitur; quem qui non ſuſcipit, hic a natura hominis alienus, vitam pecudum ſub humana ſpecie vivet. Cum vero a cæteris animalibus hoc pene ſolo differamus, quod ſoli omnium divinam vim poteſtatemque ſentimus, in illis autem nullus ſit intellectus Dei: certe illud fieri non poteſt, ut in hoc vel muta plus ſapiant, vel humana natura deſipiat; cum homini ob ſapientiam & cuncta quæ ſpirant, & omnis rerum natura ſubjecta ſit. Quare ſi ratio, ſi vis hominis hoc præcellit, & ſuperat cæteras animantes, quod ſolus notitiam Dei capit, apparet Religionem nullo modo poſſe diſſolvi.

---

## CAPUT VIII.

### *De Religione.*

Diſſolvitur autem Religio, ſi credamus Epicuro illa dicenti:

*Omnis enim per ſe divum natura neceſſe eſt,*
*Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,*
*Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.*
*Nam privata dolore omni, privata periclis,*
*Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,*
*Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

Quæ cum dicit, utrum aliquem cultum Deo putat eſſe tribuendum, an evertit omnem Religionem? Si enim Deus nihil cuiquam boni tribuit, ſi colentis obſequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam ſtultum, quam templa ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil aſſequamur? Atenim naturam excellentem honorari oportet. Quis honos deberi poteſt nihil curanti

ranti & ingrato? An aliqua ratione obſtricti eſſe poſſumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? „Deus, inquit Cicero, ſi talis eſt, ut nulla gratia, „nulla hominum charitate teneatur, valeat. Quid „enim dicam, propitius ſit? eſſe enim propitius po„teſt nemini.“ Quid contemptius dici potuit in Deum? Valeat, inquit; id eſt, abeat & recedat, quando prodeſſe nulli poteſt. Quod ſi negotium Deus nec habet, nec exhibet, cur non ergo delinquamus, quoties hominum conſcientiam fallere licebit, ac leges publicas circumſcribere? Ubicumque nobis latendi occaſio arriſerit, conſulamus rei, auferamus aliena, vel ſine cruore, vel etiam cum ſanguine, ſi præter leges nihil eſt amplius, quod colendum ſit.

Hæc dum ſentit Epicurus, Religionem funditus delet; qua ſublata, confuſio ac perturbatio vitæ ſequetur. Quod ſi religio tolli non poteſt, & ut ſapientiam, qua diſtamus a belluis, & juſtitiam retineamus, qua communis vita ſit tutior; quomodo Religio ipſa ſine metu teneri aut cuſtodiri poteſt? Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, utique non colitur. Ita fit, ut Religio, & majeſtas, & honor metu conſtet: metus autem non eſt, ubi nullus iraſcitur. Sive igitur gratiam Deo, ſive iram, ſive utrumque detraxeris, Religionem tolli neceſſe eſt, ſine qua vita hominum ſtultitia, ſcelere, immanitate completur. Multum enim refrænat homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu Dei vivere; ſi non tantum quæ gerimus, videri deſuper, ſed etiam quæ cogitamus, aut loquimur, audiri a Deo putemus. Atenim prodeſt id credere, ut quidam putant, non veritatis gratia, ſed utilitatis; quoniam leges conſcientiam punire non poſſunt, niſi aliquis deſuper terror impendeat ad cohibenda peccata. Falſa eſt igitur omnis religio, &

divinitas nulla eſt. Sed a viris prudentibus univerſa conficta ſunt, quo rectius innocentiusque vivatur. Magna hæc, & a materia quam propoſuimus aliena quæſtio eſt: ſed quia neceſſario incidit, debet quamvis breviter attingi.

---

## CAPUT IX.

*De Providentia Dei, deque ſententiis illi repugnantibus.*

Cum ſententiæ philoſophorum prioris temporis de providentia conſenſiſſent, nec ulla eſſet dubitatio, quin mundus a Deo, & ratione eſſet inſtructus, & ratione regeretur: primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui ſibi diceret non liquere, utrum eſſet aliqua divinitas, nec ne. Quæ diſputatio ejus adeo impia, & contra veritatem & Religionem judicata eſt, ut & ipſum Athenienſes expulerint ſuis finibus, & libros ejus in concione, quibus hæc continebantur, exuſſerint. De cujus ſententia non eſt opus diſputare, quia nihil certi pronuntiavit. Poſt hæc Socrates, & auditor ejus Plato, & qui de ſcholà Platonis, tanquam rivuli diverſas in partes profluxerunt; Stoici & Peripatetici, in eadem fuere ſententia, qua priores.

Poſtea vero Epicurus Deum quidem eſſe dixit, quia neceſſe ſit eſſe aliquid in mundo præſtans, & eximium, & beatum; providentiam tamen nullam: itaque mundum ipſum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica inſtructum, ſed naturam rerum quibusdam minutis ſeminibus & inſecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici poſſit, non video. Etenim ſi eſt Deus, utique providens eſt, ut Deus; nec aliter ei poteſt divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cum

igitur

igitur providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe. Cum autem Deum eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul eſſe conceſſit. Alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt. Verum iis poſtea temporibus, quibus jam philoſophia defloruerat, extitit Melius quidam Diagoras, qui nullum eſſe omnino Deum diceret, ob eamque ſententiam nominatus eſt ἄθεος; item Cyrenæus Theodorus: ambo quia nihil novi poterant reperire, omnibus jam dictis & inventis, maluerunt vel contra veritatem id negare, in quo priores univerſi ſine ambiguitate conſenſerant. Ii ſunt, qui tot ſeculis, tot ingeniis aſſertam atque defenſam providentiam calumniati ſunt. Quid ergo? utrumne iſtos minutos & inertes philoſophos ratione, an vero autoritate præſtantium virorum refellemus? an potius utroque? Sed properandum eſt, ne longius a materia divagetur oratio.

## CAPUT X.

*De Mundi ortu & rerum natura, & Dei Providentia.*

Qui nolunt divina providentia factum eſſe mundum, aut principiis inter ſe temere coeuntibus dicunt eſſe concretum, aut repente natura extitiſſe; naturam vero, ut Straton, habere in ſe vim gignendi & minuendi: ſed eam nec ſenſum habere ullum, nec figuram, ut intelligamus, omnia quaſi ſua ſponte eſſe generata, nullo artifice, nec autore. Utrumque vanum & impoſſibile. Sed hoc evenit ignorantibus veritatem, ut quidvis potius excogitent, quam id ſentiant quod ratio depoſcit. Primum minuta illa ſemina, quorum concurſu fortuito totum coiiſſe mundum loquuntur, ubi aut unde ſint, quæro. Quis illa vidit unquam? quis ſenſit? quis audivit? An ſolus Leucippus oculos habuit? ſolus mentem? qui

profecto ſolus omnium cæcus & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens poſſet ſomniare.

Quatuor elementis conſtare omnia philoſophi veteres diſſerebant: ille noluit, ne alienis veſtigiis videretur inſiſtere. Sed ipſorum elementorum alia voluit eſſe primordia, quæ nec videri poſſint, nec tangi, nec ulla corporis parte ſentiri. Tam minuta ſunt, inquit, ut nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, qua ſecari ac dividi poſſint; unde illis nomen impoſuit atomorum. Sed occurrebat ei, quod ſi una eſſet omnibus eademque natura, non poſſent res efficere diverſas, tanta varietate, quantam videmus ineſſe mundo. Dixit ergo, lævia eſſe, & aſpera, & rotunda, & angulata, & hamata. Quanto melius fuerat tacere, quam in uſus tam miſerabiles, tam inanes, habere linguam: & quidem vereor, ne non minus delirare videaur, qui hæc putet refellenda. Reſpondeamus tamen velut aliquid dicenti. Si lenia ſunt & rotunda, utique non poſſunt invicem ſe apprehendere, ut aliquod corpus efficiant; ut ſi quis milium velit in unam coagmentationem conſtringere, lenitudo ipſa granorum in maſſam coire non ſinat. Si aſpera & angulata ſunt, & hamata, ut poſſint cohærere; dividua ergo & ſecabilia ſunt: hamos enim neceſſe eſt & angulos eminere, ut poſſint amputari.

Itaque quod amputari ac divelli poteſt, & videri poterit & teneri. „Hæc, inquit, per inane irrequie-„tis motibus volitant, & huc, atque illuc feruntur, „ſicut pulveris minutias videmus in ſole, cum per „feneſtram radios ac lumen immiſerit. Ex his arbo-„res, & herbæ, & fruges omnes oriuntur: ex his „animalia & aqua, ignis & univerſa gignuntur, & „rurſus in eadem reſolvuntur.“ Ferri hoc poteſt, quamdiu de rebus parvis agitur. Ex his etiam mundus ipſe concretus eſt. Implevit numerum perfectæ

inſa-

inſaniæ; nihil videtur ulterius dici poſſe: ſed invenit tamen ille quod adderet. „Quoniam eſt omne, „inquit, infinitum, nec poteſt quidquam vacare; ne„ceſſe eſt ergo innumerabiles eſſe mundos.“ Quæ tanta vis fuerat atomorum, ut moles tam inæſtimabiles ex tam minutis conglobarentur? Ac primum requiro, quæ ſit iſtorum ſeminum, vel ratio, vel origo. Si enim ex illis ſunt omnia, ipſa igitur unde eſſe dicemus? quæ natura tantam copiam ad efficiendos innumerabiles mundos ſubminiſtravit? Sed concedamus, ut impune de mundis deliraverit: de hoc loquamur, in quo ſumus, & quem videmus. Ait, omnia ex individuis corpuſculis fieri.

Si hoc ita eſſet, nulla res unquam ſui generis ſemine indigeret. Sine ovis alites naſcerentur, ac ova ſine partu, item cætera viventia ſine coitu: arbores, & quæ gignuntur e terra, propria ſemina non haberent, quæ nos quotidie tractamus, & ſerimus. Cur ex frumento ſeges naſcitur, & rurſus ex ſegete frumentum? Denique ſi atomorum coitio & conglobatio efficeret omnia, in aere univerſa concreſcerent; ſi quidem per inane atomi volitant: cur ſine terra, ſine radicibus, ſine humore, ſine ſemine, non herba, non arbor, non fruges oriri augerique poſſunt? Unde apparet, nihil ex atomis fieri; quandoquidem unaquæque res habet propriam certamque naturam, ſuum ſemen, ſuam legem ab exordio datam. Denique Lucretius, quaſi oblitus atomorum, quas aſſerebat, ut redargueret eos, qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis uſus eſt, quæ contra ipſum valerent. Sic enim dixit:

*Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus*
*Omne genus naſci poſſet; nil ſemine egeret.*

Item poſtea,

*Nil igitur fieri de nilo poſſe fatendum eſt;*
*Semine quando opus eſt rebus, quo quæque creatæ*
*Aeris in teneras poſſint pveferrier auras.*

Quis hunc putet habuiſſe cerebrum, cum hæc diceret, nec videret ſibi eſſe contraria? Nihil enim per atomos fieri exinde apparet, quod ſemen cujusque rei certum eſt; niſi forte & ignis, & aquæ naturam ex atomis eſſe credemus. Quid, quod duriſſimi rigoris materiæ, ſi ictu vehementiore collidantur, ignis excutitur? Num in ferro aut ſilice atomi latent? Quis incluſit? aut cur ſua ſponte non emicant; aut quomodo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt?

Omitto ſilicem ac ferrum. Orbem vitreum plenum aquæ ſi tenueris in ſole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur etiam in duriſſimo frigore. Num etiam in aqua ignem eſſe credendum eſt? atqui de ſole ignis ne æſtate quidem accendi poteſt. Si ceræ inhalaveris, vel ſi vapor levis aliquid attigerit, aut cruſtam marmoris, aut laminam, paulatim per minutiſſimos rores aqua concreſcit. Item de halitu terræ aut maris nebula exiſtit: quæ aut diſperſa humefacit quidquid texerit; aut collecta, in arduos montes in ſublime vento rapta, ſtipatur in nubem, atque imbres maximos dejicit. Ubi ergo dicimus liquores natos eſſe? num in vapore? num in halitu? num in vento? Atqui nihil poteſt conſiſtere in eo, quod nec tangitur, nec videtur. Quid ego de animalibus loquar, in quorum corporibus nihil ſine ratione, ſine ordine, ſine utilitate, ſine ſpecie figuratum videmus; adeo ut ſolertiſſima, & diligentiſſima omnium partium membrorumque deſcriptio, caſum ac fortunam repellat. Sed putemus artus & oſſa & nervos & ſanguinem de atomis poſſe concreſcere. Quid ſenſus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus ſeminibus coagmentari poſſunt? minutiſſimis, inquit. Sunt ergo alia majora. Quomodo igitur inſecabilia?

Deinde

Deinde, ſi ex inviſibilibus ſunt, quæ non videntur, conſequens eſt, ut ex viſibilibus ſint, quæ videntur; cur igitur nemo videt? Sed ſive inviſibilia quæ ſunt in homine conſideret, ſive tractabilia, quæ veniunt ſub aſpectum, ratione utraque conſtare quis non videt? Quomodo ergo ſine ratione coeuntia poſſunt aliquid efficere rationale? Videmus enim nihil eſſe in omni mundo, quod non habeat in ſe maximam mirabilemque rationem. Quæ, quia ſupra hominis ſenſum & ingenium eſt, cui rectius, quam divinæ providentiæ tribuenda eſt? An ſimulacrum hominis & ſtatuam ratio & ars fingit; ipſum hominem de fruſtis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid ſimile veritatis in ficto, cum ſummum & excellens artificium nihil aliud, niſi umbram & extrema corporis lineamenta poſſit imitari? Num potuit humana ſolertia dare operi ſuo aut motum aliquem, aut ſenſum? Omitto uſum videndi, audiendi, odorandi, cæterorumque membrorum, vel apparentium, vel latentium, mirabiles utilitates. Quis artifex potuit, aut cor hominis, aut vocem, aut ipſam fabricare ſapientiam? Quiſquamne igitur ſanus exiſtimat, quod homo ratione & conſilio facere non poſſit, id concurſu atomorum paſſim cohærentium perfici potuiſſe? Vides in quæ deliramenta inciderint, dum nolunt effectionem curamque rerum Deo dare.

Concedamus tamen his, ut ex atomis fiant quæ terrena ſunt: num etiam cœleſtia? Deos ajunt incorruptos, æternos, beatos eſſe; ſoliſque dant immunitatem, ne concurſu atomorum concreti eſſe videantur. Si enim Dii quoque ex illis conſtitiſſent, diſſipabiles fierent, ſeminibus aliquando reſolutis, atque in naturam ſuam revertentibus. Ergo ſi eſt aliquid, quod atomi non effecerint, cur non cætera eodem modo intelligamus? Sed quæro antequam

mundum primordia iſta generarent, cur ſibi Dii habitaculum non ædificarint? Videlicet, niſi atomi coiiſſent, cœlumque feciſſent: adhuc Dii per medium inane penderent. Quo igitur conſilio, qua ratione de confuſo acervo ſe atomi congregaverunt, ut ex aliis inferius terra conglobaretur, cœlum deſuper tenderetur, tanta ſiderum varietate diſtinctum, ut nihil unquam excogitari poſſit ornatius? Tanta ergo qui videat & talia, poteſt exiſtimare nullo effecta eſſe conſilio, nulla providentia, nulla ratione divina; ſed ex atomis ſubtilibus, exiguis concreta eſſe tanta miracula? Nonne prodigio ſimile eſt aut natum eſſe hominem, qui hæc diceret, aut extitiſſe, qui crederet? ut Democritum, qui auditor ejus fuit, vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. At enim, ſicut alii dicunt, natura mundus effectus eſt, quæ ſenſu & figura caret. Hoc vero multo eſt abſurdius. Si natura mundum fecit, conſilio & ratione fecerit, neceſſe eſt; is enim facit aliquid, qui aut voluntatem faciendi habet, aut ſcientiam. Si caret ſenſu ac figura, quomodo poteſt ab ea fieri, quod & ſenſum habeat & figuram? niſi forte quis arbitretur, animalium fabricam tam ſubtilem a non ſentiente formari animarique potuiſſe; aut iſtam cœli ſpeciem, tam providenter ad utilitates viventium temperatam, neſcio quo caſu, ſine conditore, ſine artifice, ſubito extitiſſe.

„Si quid eſt, inquit Chryſippus, quod efficiat ea, „quæ homo, licet ratione ſit præditus, facere non „poſſit, id profecto eſt majus, & fortius, & ſapien„tius homine.“ Homo autem non poteſt facere cœleſtia; ergo illud, quod hæc efficiet, vel effecerit, ſuperat hominem arte, conſilio, prudentia, poteſtate. Quis igitur poteſt eſſe, niſi Deus? Natura vero, quam veluti matrem eſſe rerum putant, ſi mentem non habet, nihil efficiet unquam, nihil molietur.

lietur. Ubi enim non eſt cogitatio, nec motus eſt ullus, nec efficacia. Si autem conſilio utitur ad incipiendum aliquid; ratione ad diſponendum, arte ad efficiendum, virtute ad conſummandum, poteſtate ad regendum & continendum; cur natura potius, quam Deus nominetur? Aut ſi concurſus atomorum, vel carens mente natura, ea, quæ videmus, effecit, quæro cur facere cœlum potuerit, urbem aut domum non potuerit; cur montes marmoris fecerit, columnas & ſimulacra non fecerit? Atqui non debuerant atomi etiam ad hæc efficienda concurrere; ſiquidem nullam poſitionem relinquunt, quam non experiantur. Nam de natura, quæ mentem non habeat, non eſt mirandum, quod hæc facere oblita ſit. Quid ergo eſt? Utique Deus, cum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil poteſt eſſe nec diſpoſitius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulcritudinem, nec majus ad molem, quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipſe; in quibus etiam hominem ipſum, cui particulam de ſua ſapientia dedit, & inſtruxit eum ratione quantum fragilitas terrena capiebat, ut ipſe ſibi efficeret, quæ ad uſus ſuos eſſent neceſſaria.

Si vero in hujus mundi, ut ita dixerim, republica nulla providentia eſt, quæ regat, nullus Deus, qui adminiſtret, nec omnino ſenſus ullus in hac rerum natura pollet; unde igitur mens humana tam ſolers, tam intelligens orta eſſe credetur? Si enim corpus hominis ex humo fictum eſt, unde homo nomen accepit; animus ergo qui ſapit, qui rector eſt corporis, cui membra obſequuntur tanquam regi & imperatori, qui nec aſpici, nec comprehendi poteſt, non potuit ad hominem niſi a ſapiente natura pervenire. Sed ſicut omne corpus mens & animus gubernat: ita & mundum Deus. Nec enim veriſimile eſt, ut minora & humilia regimen habeant; majora & ſumma

non habeant. Denique M. Cicero in Tuſculanis, & in Conſolatione, „ Animorum, inquit, nulla in ter„ ris origo inveniri poteſt. Nihil eſt enim, inquit, „ in animis miſtum atque concretum, aut quod ex „ terra natum atque fictum eſſe videatur; nihil ne „ aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His „ enim naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, men„ tis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, „ & futura prævideat, & complecti poſſit præſentia, „ quæ ſola divina ſunt. Nec enim inveniuntur un„ quam, unde ad hominem venire poſſint, niſi a „ Deo.“ Exceptis igitur duobus tribusve calumniatoribus vanis, cum conſtet, divina providentia mundum regi, ſicut & factus eſt, nec ſit quisquam, qui Diagoræ Theodorique ſententiam, vel Leucippi inane commentum, vel Democriti Epicurique levitatem præferre audeat autoritati, vel illorum ſeptem priorum, qui ſunt appellati ſapientes, vel Pythagoræ, vel Socratis, vel Platonis, cæterorumque philoſophorum, qui eſſe providentiam judicaverunt; falſa igitur eſt & illa ſententia, qua putant terroris ac metus gratia Religionem a ſapientibus inſtitutam, quo ſe homines imperiti a peccatis abſtinerent.

Quod ſi verum ſit, ergo deriſi ab antiquis ſapientibus ſumus. Quod ſi fallendi noſtri, atque adeo totius generis humani cauſa commenti ſunt Religionem; ſapientes igitur non fuerunt, quia in ſapientem non cadit mendacium. Sed fuerint ſapientes; quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, ſed Platonem quoque, ac Socratem fallerent, & Pythagoram, Zenonem, Ariſtotelem, maximarum ſectarum principes, tam facile deluderent? Eſt igitur divina providentia, ut ſenſerunt ii homines, quos nominavi; cujus vi ac poteſtate omnia, quæ videmus & facta ſunt, & reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta diſpoſitio, tanta in ſervandis

dis ordinibus temporibusque conſtantia, aut olim potuit ſine provido artifice oriri, aut conſtare tot ſeculis ſine incola potenti, aut in perpetuum gubernari ſine perito ac ſentiente rectore: quod ratio ipſa declarat. Quidquid eſt enim, quod habet rationem, ratione ſit ortum neceſſe eſt. Ratio autem ſentientis ſapientisque naturæ eſt: ſapiens vero ſentiensque natura nihil aliud poteſt eſſe, quam Deus. Mundus autem, quoniam rationem habet, qua & regitur, & conſtat; ergo a Deo factus eſt. Quod ſi eſt conditor rectorque mundi Deus, recte igitur ac vere Religio conſtituta eſt; autori enim rerum, parentique communi honos veneratioque debetur.

---

## CAPUT XI.

*De Deo, eoque uno, cujusque providentia mundus regatur & conſtet.*

Quoniam conſtitit de providentia, ſequitur ut doceamus, utrumne multorum eſſe credenda ſit, an potius unius. Satis, ut opinor, oſtendimus in noſtris Inſtitutionibus, Deos multos eſſe non poſſe; quod divina vis ac poteſtas ſi diſtribuatur in plures, diminui eam neceſſe ſit: quod autem minuitur, utique & mortale eſt; ſi vero mortalis non eſt, nec minui, nec dividi poteſt. Deus igitur unus eſt, in quo vis & poteſtas conſummata, nec minui poteſt, nec augeri. Si autem ſunt multi, dum habent ſinguli poteſtatis aliquid ac numinis, ſumma ipſa decreſcit; nec poterunt ſinguli habere totum, quod eſt commune cum pluribus, unicuique tantum deerit, quantum cæteri poſſidebunt. Non poſſunt igitur in hoc mundo multi eſſe rectores: nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno

exami-

examine multi reges. Sed nec in cœlo quidem multi ſoles eſſe potuerunt, ſicut nec animæ plures in uno corpore: adeo in unitate natura univerſa conſentit. Quod ſi mundum

*Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet:*

apparet teſtimonio poetæ, unum eſſe mundi habitatorem Deum; ſiquidem corpus omne niſi ab una mente incoli regique non poteſt. Omnem igitur divinam poteſtatem neceſſe eſt in uno eſſe, cujus nutu & imperio regantur omnia; & ideo tantus eſt, ut ab homine non poſſit, aut verbis enarrari, aut ſenſibus æſtimari.

Unde igitur ad homines opinio multorum Deorum perſuaſione pervenit? Nimirum ii omnes, qui coluntur ut Dii, homines fuerunt, & iidem primi, ac maximi reges: ſed eos, aut ob virtutem, qua profuerant hominum generi, divinis honoribus affectos eſſe poſt mortem; aut ob beneficia & inventa, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam conſecutos, quis ignorat? nec tantum mares, ſed & fœminas. Quod cum vetuſtiſſimi Græciæ ſcriptores, quos illi θεολογȣς nuncupant, tum etiam Romani, Græcos ſecuti & imitati, docent; quorum præcipue Euhemerus, ac noſter Ennius, qui eorum omnium natales, conjugia, progenies, imperia, res geſtas, obitus, ſepulcra demonſtrant. Et ſecutus eos Tullius tertio de Natura Deorum libro diſſolvit publicas religiones: ſed tamen veram, quam ignorabat, nec ipſe, nec alius quiſquam potuit inducere. Adeo & ipſe teſtatus eſt, falſum quidem apparere, veritatem tamen latere. Utinam, inquit, tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere! Quod quidem non diſſimulanter, ut Academicus, ſed vere atque ex animi ſententia proclamavit: quia veritas huma-

humanis ſenſibus erui nunquam poteſt, quod aſſequi valuit humana providentia, id aſſecutus eſt, ut falſa detegeret. Quidquid enim fictum, & commentitium, quia nulla ratione ſubnixum eſt, facile diſſolvitur. Unus eſt igitur princeps, & origo rerum Deus, ſicut Plato in Timæo & ſenſit & docuit; cujus majeſtatem tantam eſſe declarat, ut nec mente comprehendi, nec lingua exprimi poſſit.

Idem teſtatur Hermes, quem Cicero ait in numero Deorum apud Ægyptios haberi, eum ſcilicet, qui ob virtutem multarumque artium ſcientiam Trismegiſtus nominatus, & erat non modo Platone, verum etiam Pythagora ſeptemque illis ſapientibus longe antiquior. Apud Xenophontem Socrates diſputans ait, „formam Dei non oportere conquiri;“ & Plato in legum libris: „Quid omnino ſit Deus, non eſſe „quærendum; quia nec inveniri poſſit, nec enar„rari.“ Pythagoras quoque unum Deum confitetur dicens, incorporalem eſſe mentem, quæ per omnem rerum naturam diffuſa & intenta, vitalem ſenſum cunctis animantibus tribuat. Antiſthenes autem in Phyſico unum eſſe naturalem Deum dixit, quamvis gentes, & urbes ſuos habeant populares. Eadem fere & Ariſtoteles cum ſuis Peripateticis, & Zeno cum ſuis Stoicis. Longum eſt enim ſingulorum ſententias exequi, qui licet diverſis nominibus ſint abuſi, ad unam tamen poteſtatem, quæ mundum regeret, concurrerunt. Sed tamen ſummum Deum, cum & philoſophi & poetæ & ipſi denique, qui Deos colunt, ſæpe fateantur; de cultu tamen & honoribus ejus nemo unquam requiſivit, nemo diſſeruit; ea ſcilicet perſuaſione, qua ſemper beneficum incorruptumque credentes, nec iraſci eum cuiquam, nec ullo cultu indigere arbitrantur. Adeo Religio eſſe non poteſt, ubi metus nullus eſt.

CAPUT

## CAPUT XII.

*De Religione, & Dei timore.*

Nunc quoniam reſpondimus impiæ quorumdam deteſtabilique prudentiæ, vel potius amentiæ, redeamus ad propoſitum. Diximus, Religione ſublata, nec ſapientiam teneri poſſe, nec juſtitiam; quia ſapientia divinitatis intellectus eſt, quo differimus a belluis: in homine ſolo reperiri juſtitiam, qua niſi cupiditates noſtras Deus, qui falli non poteſt, coercuerit, ſcelerate impieque vivemus. Spectari ergo actus noſtros a Deo, non modo ad utilitatem communis vitæ attinet, ſed etiam ad veritatem; quia religione juſtitiaque detracta, vel ad ſtultitiam pecudum amiſſa ratione devolvimur, vel ad beſtiarum immanitatem: imo vero amplius; ſiquidem beſtiæ ſui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi dempto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor auferetur, ſi fuerit homini perſuaſum, quod iræ ſit expers Deus; quem moveri & indignari, cum injuſta fiunt, non modo communis utilitas, ſed etiam ratio ipſa nobis & veritas perſuadet. Rurſus nobis ad ſuperiora redeundum eſt, ut quia docuimus a Deo factum eſſe mundum, doceamus quare ſit effectus.

## CAPUT XIII.

*De Mundi & temporum commodo & uſu.*

Si conſideret aliquis univerſam mundi adminiſtrationem, intelliget profecto, quam vera ſit ſenten-

tia

tia Stoicorum, qui ajunt noſtra cauſa mundum eſſe conſtructum. Omnia enim, quibus conſtat, quæque generat ex ſe mundus, ad utilitatem hominis accommodata ſunt. Homo utitur igni ad uſum calefaciendi & luminis & molliendorum ciborum, ferrique fabricandi: utitur fontibus ad potum & ad lavacra; fluminibus ad agros irrigandos terminandasque regiones: utitur terra ad percipiendam frugum varietatem; collibus ad conſerenda vineta; montibus ad uſum arborum atque lignorum; planis ad ſegetem: utitur mari, non ſolum ad commercia & copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad ubertatem omnis generis piſcium. Quod ſi his elementis utitur, quibus eſt proximus, non eſt dubium, quin & cœlo, quoniam & cœleſtium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua vivimus, temperata ſunt. Sol irrequietis curſibus & ſpatiis inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem ſuperducit ad requiem: & tum abſceſſu longius ad meridiem, tum acceſſu propius ad ſeptentrionem, hyemis & æſtatis viciſſitudines facit, ut & hybernis humoribus ac pruinis in ubertatem terra pingueſcat, & æſtivis caloribus, vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ ſunt in humidis, incocta & fervefacta miteſcant. Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amiſſi ac recepti luminis vicibus menſtrua ſpatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore ſuæ claritatis illuſtrat; ut æſtiva itinera, & expeditiones, & opera ſine labore ac moleſtia confici poſſint. Siquidem:

*Nocte leves ſtipulæ melius, nocte arida prata*
*Tondentur.*

Aſtra etiam cætera, vel ortu, vel occaſu ſuo, certis ſtationibus opportunitates temporum ſuminiſtrant.

ſtrant. Sed & navigiis, quominus errabundo curſu per immenſum vagentur, regimen præbent, cum carite gubernator obſervans, ad portum deſtinati littoris pervehatur. Ventorum ſpiritu attrahuntur nubes, ut ſata imbribus irrigentur, ut vites fœtibus, arbuſta pomis exuberent. Et hæc per orbem vicibus exhibentur, ne deſit aliquando, quo vita hominum ſuſtineatur. At enim cæteras animantes eadem terra nutrit, & ejusdem fœtu etiam muta paſcuntur. Num etiam mutorum cauſa Deus laboravit? Minime, quia ſunt rationis expertia. Sed intelligimus, & ipſa eodem modo in uſum hominis a Deo facta, partim ad cibos, partim ad veſtitum, partim ad operis auxilia; ut clarum ſit, divinam providentiam rerum & copiarum abundantia hominum vitam inſtruere atque ornare voluiſſe, ob eamque cauſam, & aerem volucribus, & mare piſcibus, & terram quadrupedibus implevit. Sed Academici contra Stoicos diſſerentes ſolent quærere, cur, ſi Deus omnia hominum cauſa fecerit, etiam multa contraria, & inimica, & peſtifera nobis reperiantur, tam in mari, quam in terra. Quod Stoici veritatem non reſpicientes ineptiſſime repulerunt. Aiunt enim, multa eſſe in gignentibus, & in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas: ſed eam proceſſu temporum inveniri; ſicut jam plura prioribus ſeculis incognita neceſſitas & uſus invenerit. Quæ tandem utilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri, quæ homini moleſta & pernicioſa ſunt? An medicina in his aliqua latet? Quæ ſi eſt, invenietur aliquando, nempe adverſus mala, cum id illi quærantur eſſe omnino malum. Viperam ferunt exuſtam in cineremque dilapſam, mederi ejusdem beſtiæ morſui. Quanto melius fuerat eam prorſus non eſſe, quam remedium contra ſe ab ea ipſa deſiderari?

Bre-

Brevius igitur, ac verius reſpondere potuerunt in hunc modum. Deus cum formaſſet hominem veluti ſimulacrum ſuum, quod erat divini opificii ſummum, inſpiravit ei ſapientiam ſoli, ut omnia imperio ac ditioni ſuæ ſubjugaret omnibusque mundi commodis uteretur. Propoſuit tamen ei & bona & mala; quia ſapientiam dedit; cujus omnis ratio in diſcernendis malis ac bonis ſita eſt. Non poteſt enim quisquam eligere meliora & ſcire quid bonum ſit, niſi ſciat ſimul rejicere ac vitare quæ mala ſunt. Invicem ſibi alterutra connexa ſunt; ut ſublato alterutro, utrumque tolli ſit neceſſe. Propoſitis igitur bonis malisque, tum demum opus ſuum peragit ſapientia; & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad ſalutem. Ergo ſicut bona innumerabilia data ſunt homini, quibus frui poſſet; ſic etiam mala, quæ caveret. Nam ſi malum nullum ſit, nullum periculum, nihil denique, quod lædere hominem poſſit, tollitur omnis materia ſapientiæ, nec erit homini neceſſaria. Poſitis enim tantummodo in conſpectu bonis, quid opus eſt cogitatione, intellectu, ſcientia, ratione? eum quocumque porrexerit manum, id naturæ aptum & accommodatum ſit: ut ſi quis velit apparatiſſimam cœnam infantibus, qui nondum ſapiant, apponere, utique id appetent ſinguli, quo unumquemque, aut impetus, aut fames, aut etiam caſus attraxerit, & quidquid ſumſerint, id illis erit vitale ac ſalubre. Quid igitur nocebit, eos ſicuti ſunt, permanere & ſemper infantes ac neſcios eſſe rerum? Si autem admiſceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata, decipiuntur utique per ignorantiam boni ac mali, niſi accedat his ſapientia, per quam habeant malorum rejectionem, bonorumque delectum.

Vides ergo, magis propter mala opus nobis eſſe ſapientia: quæ niſi fuiſſent propoſita, rationale animal non eſſemus. Quod ſi hæc ratio vera eſt, quam

Stoici nullo modo videre potuerunt, diſſolvitur etiam argumentum illud Epicuri. Deus, inquit, aut vult tollere mala & non poteſt; aut poteſt & non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & vult & poteſt. Si vult & non poteſt, imbecillis eſt; quod in Deum non cadit. Si poteſt & non vult, invidus; quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque poteſt, & invidus & imbecillis eſt; ideoque neque Deus. Si vult & poteſt, quod ſolum Deo convenit, unde ergo ſunt mala? aut cur illa non tollit? Scio pleroſque philoſophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari ſolere & invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quærit Epicurus. Sed nos ratione perſpecta, formidoloſum hoc argumentum facile diſſolvimus. Deus enim poteſt quidquid velit, & imbecillitas, vel invidia in Deo nulla eſt; poteſt igitur mala tollere: ſed non vult; nec ideo tamen invidus eſt. Idcirco enim non tollit, quia ſapientiam, ſicut edocui, ſimul tribuit, & plus eſt boni ac jucunditatis in ſapientia, quam in malis moleſtiæ. Sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoſcamus & per eam cognitionem immortalitatem aſſequamur; quod eſt ſummum bonum. Itaque niſi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoſcere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quiſquam; ſi tollantur mala, tolli pariter ſapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere veſtigia, cujus ratio in ſuſtinenda & ſuperanda malorum acerbitate conſiſtit. Itaque propter exiguum compendium ſublatorum malorum maximo & vero & proprio nobis bono careremus. Conſtat igitur, omnia propter hominem propoſita, tam mala, quam etiam bona.

---

CAPUT

## CAPUT XIV.

*Cur Deus fecerit hominem.*

Sequitur ut oſtendam, cur fecerit hominem ipſum Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus eſt, ita ipſum propter ſe, tanquam divini templi antiſtitem, ſpectatorem operum rerumque cœleſtium. Solus eſt enim, qui ſentiens, capaxque rationis, intelligere poſſit Deum, qui opera ejus admirari, virtutem poteſtatemque perſpicere; idcirco enim conſilio, mente, prudentia inſtructus eſt. Ideo ſolus præter cæteras animantes recto corpore ac ſtatu factus eſt, ut ad contemplationem parentis ſui excitatus eſſe videatur. Ideo ſermonem ſolus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majeſtatem Domini ſui poſſit. Poſtremo idcirco ei cuncta ſubjecta ſunt, ut factori atque artifici Deo eſſet ipſe ſubjectus. Si ergo Deus hominem ſuum voluit eſſe cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur; utique juſtiſſimum eſt & eum qui tanta præſtiterit, amare & hominem, qui ſit nobiſcum divini juris ſocietate conjunctus. Nec enim fas eſt, cultorem Dei a Dei cultore violari. Unde intelligitur, Religionis ac juſtitiæ cauſa eſſe hominem figuratum. Cujus rei teſtis eſt Marcus Tullius in libris de Legibus, ita dicens: Sed omnium, quæ in doctorum hominum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi, nos ad juſtitiam eſſe natos. Quod ſi eſt veriſſimum, Deus ergo vult omnes homines eſſe juſtos, id eſt, Deum & hominem caros habere: Deum ſcilicet honorare tanquam patrem, hominem diligere velut fratrem; in his enim duobus tota juſtitia conſiſtit. Qui ergo aut Deum non agnoſcit, aut homini

 nocet,

nocet, injuſte & contra naturam ſuam vivit, & hoc modo rumpit inſtitutum legemque divinam.

---

## CAPUT XV.

*Unde ad hominem peccata pervenerint.*

Hic fortaſſe quærat aliquis, unde ad hominem peccata pervenerint aut quæ pravitas divini inſtituti regulam ad pejora detorſerit, ut cum ſit ad juſtitiam genitus, opera tamen efficiat injuſta. Jam ſuperius explanavi, ſimul Deum propoſuiſſe bonum ac malum; & bonum quidem diligere, malum autem, quod huic repugnat, odiſſe: ſed ideo malum permiſiſſe, ut & bonum emicaret, quod alterum ſine altero, ſicut ſæpe docui, intelligimus conſtare non poſſe: denique ipſum mundum ex duobus elementis repugnantibus & invicem copulatis eſſe concretum, igneo & humido, nec potuiſſe lucem fieri, niſi & tenebræ fuiſſent; quia nec ſuperum poteſt eſſe ſine infero, nec oriens ſine occidente, nec calidum ſine frigido, nec molle ſine duro. Sic & nos ex duobus æque repugnantibus compacti ſumus, anima & corpore: quorum alterum cœlo adſcribitur, quia tenue eſt & intractabile; alterum terræ, quia comprehenſibile eſt: alterum ſolidum & æternum eſt, alterum fragile atque mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum: alteri lux, vita, juſtitia; alteri tenebræ, mors, injuſtitia. Hinc extitit in hominibus naturæ ſuæ depravatio; ut eſſet neceſſe conſtitui legem, qua poſſent & vitia prohiberi, & virtutis officia imperari. Cum igitur ſint in rebus humanis bona & mala, quorum rationem declaravi, neceſſe eſt in utramque partem moveri Deum, & ad gratiam, cum juſta fieri videt; & ad iram, cum cernit injuſta.

Sed

Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit: „ ſi eſt in „ Deo lætitiæ effectus ad gratiam, & odii ad iram, „ neceſſe eſt habeat & timorem, & libidinem, & cu- „ piditatem, cæterosque affectus, qui ſunt imbecil- „ litatis humanæ.“ Non eſt neceſſe ut timeat, qui iraſcitur; aut mœreat, qui gaudet: denique iracundi, minus timidi ſunt; & natura læti, minus mœrent. Quid opus eſt de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas noſtra ſuccumbit? Conſideremus divinam neceſſitatem; nolo enim naturam dicere, quia Deus noſter nunquam creditur natus. Timoris affectus habet in homine materiam, in Deo non habet. Homo, quia multis caſibus periculisque ſubjectus eſt, metuit, ne qua vis major exiſtat, quæ illum verberet, ſpoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autem, in quem nec egeſtas, nec injuria, nec dolor, nec mors cadit, timere nullo pacto poteſt; quia nihil eſt, quod ei vim poſſit inferre. Item libidinis ratio & cauſa in homine manifeſta eſt. Nam quia fragilis & mortalis effectus eſt, neceſſe fuit alterum ſexum diverſumque conſtitui, cujus permiſtione ſoboles effici poſſet ad continuandam generis perpetuitatem. Hæc autem libido in Deo locum non habet; quia & fragilitas & interitus ab eo alienus eſt, nec ulla eſt apud eum fœmina, cujus poſſit copulatione gaudere, nec ſucceſſione indiget, qui ſemper futurus eſt. Eadem de invidia & cupiditate dici poſſunt; quæ certis manifeſtisque de cauſis in hominem cadunt, in Deum nullo modo. At vero & gratia, & ira, & miſeratio habent in Deo materiam; recteque illis utitur ſumma iſta & ſingularis poteſtas ad rerum conſervationem.

## CAPUT XVI.

*De Deo, eiusque ira & affectibus.*

Quæret quiſpiam, quæ ſit iſta materia? Primum accidentibus malis afflicti homines ad Deum plerumque confugiunt, mitigant, obſecrant, credentes eum poſſe ab his injurias propulſare. Habet igitur cauſam miſerandi; nec enim tam immitis eſt hominumque contemptor, ut auxilium laborantibus deneget. Item plurimi, quibus perſuaſum eſt Deo placere juſtitiam, eumque qui ſit Dominus ac parens omnium, venerantur, & precibus aſſiduis ac frequentibus votis, dona & ſacrificia offerunt, nomen ejus laudibus proſequuntur, juſtis ac bonis operibus demereri eum laborantes. Ergo eſt, propter quod Deus & poſſit, & debeat gratificari. Nam ſi nihil eſt tam conveniens Deo, quam beneficentia, nihil autem tam alienum, quam ut ſit ingratus: neceſſe eſt, ut officiis optimorum ſanctequе viventium præſtet aliud, ac vicem reddat, ne ſubeat ingrati culpam, quæ eſt etiam homini criminoſa. Contra autem ſunt alii facinoroſi, & nefarii, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, rapiant, perjurent; nec conſanguineis, nec parentibus parcant; leges, & ipſum etiam Deum negligant.

Habet igitur ira in Deo materiam. Non eſt enim fas eum, cum talia fieri videat, non moveri, & inſurgere ad ultionem ſceleratorum, & peſtiferos nocentesque delere, ut bonis omnibus conſulat: adeo & in ipſa ira ineſt & gratificatio. Inania ergo & falſa reperiuntur argumenta, vel eorum, qui, cum iraſci Deum nolunt, gratificari volunt; quia ne hoc quidem fieri ſine ira poteſt; vel eorum, qui nullum animi motum eſſe in Deo putant. Et quia ſunt aliqui affectus, qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mœror,

invi-

invidia, omni prorſus affectu eum vacare dixerunt. His enim vacat, quia vitiorum affectus ſunt: eos autem, qui ſunt virtutis, id eſt, ira in malos, charitas in bonos, miſeratio in afflictos, quoniam divina poteſtate ſunt digna, proprios, & juſtos, & veros habet. Quæ profecto niſi habeat, humana vita turbabitur; atque ad tantam confuſionem deveniet ſtatus rerum, ut contemptis ſuperatisque legibus, ſola regnet audacia, ut nemo denique tutus eſſe poſſit, niſi qui viribus prævaleat. Ita quaſi communi latrocinio terra omnis depopulabitur. Nunc vero quoniam & mali pœnam, & boni gratiam, & afflicti opem ſperant; & virtutibus locus eſt, & ſcelera rariora ſunt. Atenim plerumque & ſcelerati feliciores ſunt, & boni miſeriores, & juſti ab injuſtis impune vexantur. Conſiderabimus poſtea, cur iſta fiant. Interim de ira explicemus, an ſit aliqua in Deo, utrum nihil curet omnino, nec moveatur ad ea, quæ impie geruntur.

## CAPUT XVII.

*De Deo, cura & ira.*

Deus, inquit, Epicurus, nihil curat; nullam igitur habet poteſtatem. Curare enim neceſſe eſt eum, qui habet poteſtatem; vel ſi habet, & non utitur, quæ tanta cauſa eſt, ut ei, non dicam noſtrum genus, ſed etiam mundus ipſe ſit vilis? Ideo, inquit, incorruptus eſt ac beatus, quia ſemper quietus. Cui ergo adminiſtratio tantarum rerum ceſſit, ſi hæc a Deo negligantur, quæ videmus ratione ſumma gubernari? aut quietus eſſe quomodo poteſt, qui vivit & ſentit? Nam quies aut ſomni res eſt, aut mortis. Sed nec ſomnus habet quietem. Nam cum ſoporati ſumus, corpus quidem quieſcit, animus tamen

men irrequietus agitatur: imagines ſibi, quas cernat, effingit, ut naturalem ſuum motum exerceat varietate viſorum; avocatque ſe a falſis, dum membra ſaturentur, ac vigorem capiant de quiete. Quies igitur ſempiterna ſolius mortis eſt. Si autem mors Deum non attingit, Deus igitur nunquam quietus eſt. Dei vero actio quæ poteſt eſſe, niſi mundi adminiſtratio? Si vero mundi curam gerit, curat igitur hominum vitam Deus, ac ſingulorum actus animadvertit, eosque ſapientes ac bonos eſſe deſiderat. Hæc eſt voluntas Dei, hæc divina lex; quam qui ſequitur, qui obſervat, Deo carus eſt. Neceſſe eſt igitur, ut ira moveatur adverſus eum, qui hanc æternam divinamque legem, aut violaverit, aut ſpreverit. Si nocet, inquit, alicui Deus, jam bonus non eſt. Non exiguo falluntur errore, qui cenſuram ſive humanam, ſive divinam, acerbitatis & malitiæ nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna. Quod ſi eſt, nocentes igitur leges habemus, quæ peccantibus ſupplicia ſanxerunt; nocentes judices, qui ſcelere convictos pœna capitis afficiunt. Quod ſi & lex juſta eſt, quæ & nocenti tribuit, quod meretur, & judex integer ac bonus dicitur, cum male facta vindicat (bonorum enim ſalutem cuſtodit, qui malos punit) ergo & Deus, cum malis obeſt, nocens non eſt; ipſe autem eſt nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, ut pluribus noceat.

Libet quærere ab iis, qui Deum faciunt immobilem, ſi quis habeat rem, domum, familiam, ſervique ejus contemnentes patientiam Domini, omnia invaſerint, ipſi bonis ejus fruantur, ipſos familia ejus honoret, Dominus autem contemnatur ab omnibus, derideatur, relinquatur: utrumne ſapiens eſſe poſſit, qui contumelias non vindicet, ſuiſque rebus eos perfrui patiatur, in quos habeat poteſtatem? Quæ tanta

in

in quoquam poteſt patientia reperiri? ſi tamen patientia nominanda eſt, & non ſtupor quidam inſenſibilis. Sed facile eſt ferre contemptum. Quid ſi fiant illa, quæ a Cicerone dicuntur? „ Etenim quæro, „ ſi quis paterfamilias liberis ſuis a ſervo interfectis, „ uxore occiſa, incenſa domo, ſupplicium de ſervo „ non quam acerrimum ſumpſerit; utrum is clemens „ ac miſericors, an inhumanus & crudeliſſimus eſſe „ videatur? " Quod ſi ejus facinoribus ignoſcere, crudelitatis eſt potius, quam pietatis; non eſt ergo virtutis in Deo, ad ea, quæ injuſte fiunt, non commoveri. Nam mundus tanquam Dei domus eſt, & homines tanquam ſervi: quibus ſi ludibrio ſit nomen ejus, qualis aut quanta patientia eſt, ut honoribus ſuis cedat, prava & iniqua fieri videat, & non indignetur, quod proprium & naturale eſt ei, cui peccata non placeant? Iraſci ergo rationis eſt; auferuntur enim delicta, & refrænatur licentia, quod utique juſte, ſapienterque fit.

Sed Stoici non viderunt eſſe diſcrimen recti & pravi; eſſe iram juſtam, & injuſtam: & quia medelam rei non inveniebant, voluerunt eam penitus excidere. Peripatetici vero non excidendam, ſed temperandam eſſe dixerunt: quibus in ſexto libro Inſtitutionum ſatis reſpondimus. Neſciſſe autem philoſophos, quæ ratio eſſet iræ, apparet ex definitionibus eorum, quas Seneca enumeravit in libris, quos de ira compoſuit. „ Ira eſt, inquit, cupiditas ulciſcendæ „ injuriæ. Alii, ut ait Poſidonius, cupiditas puniendi „ ejus, a quo te inique putes læſum. " Quidam ita definierunt: „ Ira eſt incitatio animi ad nocendum „ ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit. " Ariſtotelis definitio non multum a noſtra abeſt. Ait enim, iram eſſe cupiditatem doloris rependendi. Hæc eſt ira, de qua ſuperius diximus, injuſta; quæ etiam mutis ineſt: in homine vero cohibenda eſt, ne ad

 aliquod

aliquod maximum malum proſiliat per furorem. Hæc in Deo eſſe non poteſt, quia illæſibilis eſt; in homine autem, quia fragilis eſt, invenitur. Inurit enim læſio dolorem; & dolor facit ultionis cupiditatem. Ubi eſt ergo illa ira juſta adverſus delinquentes? quæ utique non eſt cupiditas ultionis, quia non præcedit injuria. Non dico de iis qui adverſus leges peccant, quibus etſi judex ſine crimine iraſci poteſt, fingamus tamen, eum ſedato animo eſſe debere, cum ſubjicit pœnæ nocentem, quia legum ſit miniſter, non animi, aut poteſtatis ſuæ; ſic enim volunt, qui iram conantur evellere. Sed de iis potiſſimum dico, qui ſunt noſtræ poteſtatis, ut ſervi, liberi, conjuges & diſcipuli: quos cum delinquere videmus, incitamur ad coercendum.

Neceſſe eſt enim bono ac juſto diſplicere, quæ prava ſunt, & cui malum diſplicet, moveri, cum id fieri videt. Ergo ſurgimus ad vindictam; non quia læſi ſumus, ſed ut diſciplina ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc eſt ira juſta, quæ ſicut in homine neceſſaria eſt ad pravitatis correctionem, ſic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. Nam ſicuti nos poteſtati noſtræ ſubjectos coercere debemus: ita etiam peccata univerſorum Deus coercere debet. Quod ut faciat, iraſcatur, neceſſe eſt; quia naturale eſt bono ad alterius peccatum moveri & incitari. Ergo definire debuerunt: Ira eſt motus animi ad coercenda peccata inſurgentis. Nam definitio Ciceronis, Ira eſt libido ulciſcendi, non multum a ſuperioribus diſtat. Ira autem, quam poſſumus vel furorem, vel iracundiam nominare, hæc ne in homine quidem debet eſſe, quia tota vitioſa eſt. Ira vero, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo poteſt, quia & utilis eſt rebus humanis, & neceſſaria.

CAPUT

## CAPUT XVIII.

*De Peccatis vindicandis, ſine ira fieri non poſſe.*

Quid opus eſt, inquiunt, ira, cum ſine hoc effectu peccata corrigi poſſint? Atqui nullus eſt, qui peccantem poſſit videre tranquille: poſſit fortaſſe, qui legibus præſidet, quia facinus non ſub oculis ejus admittitur, ſed defertur aliunde tanquam dubium, nec unquam poteſt eſſe ſcelus tam clarum, ut defenſioni locus non ſit; & ideo poteſt judex non moveri adverſus eum, qui poteſt innocens inveniri. Cumque detectum facinus in lucem venerit, jam non ſua, ſed legum ſententia utitur. Poteſt concedi, ut ſine ira faciat quod facit; habet enim quod ſequatur. Nos certe, cum domi peccatur a noſtris, ſive id cernimus, ſive ſentimus, indignari neceſſe eſt; ipſe enim peccati aſpectus indignus eſt. Nam qui non movetur omnino, aut probat delicta, quod eſt turpius & injuſtius, aut moleſtiam caſtigandi fugit, quam ſedatus animus & quieta mens aſpernatur ac renuit, niſi ſtimulaverit ira & incitaverit. Qui autem cum moveatur, tamen intempeſtiva lenitate, vel ſæpius quam neceſſe eſt, vel etiam ſemper ignoſcit, is plane & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora majora, & ſibi ipſi æternam moleſtiarum materiam ſubminiſtrat. Vitioſa eſt ergo in peccatis iræ ſuæ cohibitio.

Laudatur Archytas Tarentinus, qui cum in agro corrupta eſſe omnia comperiſſet, villici ſui culpam redarguens, Miſerum te, inquit, quem jam verberibus necaſſem, niſi iratus eſſem. Unicum hoc exemplum temperantiæ putant: ſed auctoritate ducti non vident, quam inepta & locutus fuerit, & fecerit. Nam ſi, ut ait Plato, nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur, apparet quam malum vir ſapiens propoſuerit exemplum. Si enim ſenſerint ſervi dominum ſuum ſævi-

ſævire, cum non iraſcitur, tum parcere, cum iraſcitur, non peccabunt utique leviter, ne verberentur; ſed quantum poterunt graviſſime, ut ſtomachum ejus incitent, atque impune diſcedant. Ego vero laudarem, ſi cum fuiſſet iratus, dediſſet iræ ſuæ ſpatium; ut reſidente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum caſtigatio. Non ergo propter iræ magnitudinem donanda erat pœna, ſed differenda; ne aut peccanti majorem juſto dolorem inureret, aut caſtiganti furorem. Nunc vero quæ tandem æquitas, aut quæ ſapientia eſt, ut aliquis ob exiguum delictum puniatur, ob maximum non puniatur? Quod ſi naturam rerum cauſasque didiciſſet, nunquam tam importunam continentiam profiteretur, ut nequam ſervus iratum ſibi fuiſſe dominum gratularetur. Nam ſicut corpus humanum Deus multis & variis ſenſibus ad uſum vitæ neceſſariis inſtruxit: ſic & animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio conſtaret; ut libidinem prodendæ ſobolis gratia dedit, ſic iram cohibendorum cauſa delictorum.

Verum ii, qui neſciunt fines bonorum ac malorum, ſicut libidine utuntur ad corruptelas & ad voluptates, ſic ira & affectu ad nocendum, dum iis, quos odio habent, iraſcuntur. Ergo etiam non peccantibus iraſcuntur, etiam paribus, aut etiam ſuperioribus. Hinc quotidie ad immania facinora proſilitur: hinc tragœdiæ ſæpe naſcuntur. Eſſet igitur laudandus Archytas, ſi, cum alicui civi & pari facienti ſibi injuriam fuiſſet iratus, repreſſiſſet ſe tamen, & patientia furoris impetum mitigaſſet. Hæc ſui cohibitio glorioſa eſt, qua compeſcitur aliquod imminens magnum malum. Servorum autem filiorumque peccata non coercere, peccatum eſt; evadent enim ad majus malum per impunitatem. Hic non cohibenda ira, ſed etiam, ſi jacet, excitanda eſt. Quod autem

de

de homine dicimus, id etiam de Deo, qui hominem ſimilem ſui fecit. Omitto de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere ullam formam Deum; & ingens alia materia naſcetur, ſi eos coarguere velimus: de animo tantum loquor. Si Deo ſubjacet cogitare, ſapere, intelligere, providere, præſtare: ex omnibus autem animalibus homo ſolus hæc habet; ergo ad Dei ſimilitudinem factus eſt: ſed ideo procedit in vitium, quia de terrena fragilitate permiſtus, non poteſt id, quod a Deo ſumpſit, incorruptum purumque ſervare, niſi ab eodem Deo juſtitiæ præceptis imbuatur.

## CAPUT XIX.

*De Anima & Corpore, deque Providentia.*

Sed quoniam compactus eſt, ut diximus, e duobus, animo & corpore, in altero virtutes, in altero vitia continentur, & impugnant ſe invicem. Animi enim bona, quæ ſunt in continendis libidinibus, contraria ſunt corpori; & corporis bona, quæ ſunt in omni genere voluptatum, inimica ſunt animo. Sed ſi virtus animi repugnaverit cupiditatibus, easque compreſſerit, erit vere Deo ſimilis. Unde apparet animam hominis, quæ virtutem divinam capit, non eſſe mortalem. Sed diſcrimen illud eſt, quod cum virtus habeat amaritudinem, & ſit dulcis illecebra voluptatis, vincuntur plurimi, & abſtrahuntur ad ſuavitatem. Ii vero, qui ſe corpori rebusque terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec aſſequi poſſunt divini muneris gratiam, quia ſe vitiorum labibus inquinaverunt. Qui autem Deum ſecuti, eique parentes, corporis deſideria contemſerint, & virtutem præferentes voluptatibus, innocentiam juſtitiamque ſervaverint: hos Deus ut ſui ſimiles recognoſcit,

Cum

Cum igitur ſanctiſſimam legem poſuerit, velitque univerſos, innocentes ac beneficos eſſe; poteſtne non iraſci, cum videt contemni legem ſuam, abjici virtutem, appeti voluptatem? Quod ſi eſt mundi adminiſtrator, ſicut eſſe debet, non utique contemnit id, quod eſt in omni mundo vel maximum. Si eſt providus, ut oportet Deum, conſulit utique generi humano, quo ſit vita noſtra & copioſior, & melior, & tutior. Si eſt pater ac Deus univerſorum, certe virtutibus hominum delectatur, & vitiis commovetur; ergo & juſtos diligit, & impios odit. Odio, inquit, opus non eſt; ſemel enim ſtatuit bonis præmium, & malis pœnam. Quod ſi aliquis juſte innocenterque vivat, & idem Deum nec colat, nec curet omnino, ut Ariſtides, & Timon, cæterique philoſophorum, cedetne huic impune, quod cum legi Dei obtemperarit, ipſum tamen ſpreverit? Eſt igitur aliquid, propter quod Deus poſſit iraſci, tanquam fiducia integritatis adverſus eum rebellanti. Si huic poteſt iraſci propter ſuperbiam, cur non magis peccatori, qui legem cum ipſo pariter latore contempſerit? Judex peccatis veniam dare non poteſt, quia voluntati ſervit alienæ. Deus autem poteſt, quia eſt legis ſuæ ipſe diſceptator & judex: quam cum poneret, non utique ademit ſibi omnem poteſtatem, ſed habet ignoſcendi licentiam.

---

## CAPUT XX.

*De Peccatis & Dei miſericordia.*

Si poteſt ignoſcere, poteſt igitur & iraſci. Cur ergo, inquiet aliquis, & qui peccant, ſæpe felices ſunt, & qui pie vivunt, ſæpe miſeri? Quia fugitivi & abdicati libere vivunt, & qui ſub diſciplina patris, aut Domini ſunt, ſtrictius & frugalius. Virtus enim per

mala & probatur, & conſtat; vitia per voluptatem. Nec tamen ille qui peccat, ſperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla eſt perpetua felicitas:

*——— Sed ſcilicet ultima ſemper*
*Expectanda dies homini; dicique beatus*
*Ante obitum nemo ſupremaque funera debet*;

ut ait poeta non inſuavis. Exitus eſt, qui arguit felicitatem; & nemo judicium Dei poteſt, nec vivus effugere, nec mortuus. Habet enim poteſtatem, & vivos præcipitare de ſummo, & mortuos æternis afficere cruciatibus. Imo, inquit, ſi iraſcitur Deus, ſtatim debuit vindicare, & pro merito quemque punire. Atenim ſi id faceret, nemo ſupereſſet. Nullus eſt enim, qui nihil peccet; & multa ſunt, quæ ad peccandum irritent; ætas, vinolentia, egeſtas, occaſio, præmium. Adeo ſubjecta eſt peccato fragilitas carnis, qua induti ſumus, ut niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſe pauci viverent: propter hanc cauſam patientiſſimus eſt, & iram ſuam continet. Nam quia perfecta eſt in eo virtus, neceſſe eſt patientiam quoque ejus eſſe perfectam, quæ & ipſa virtus eſt. Quam multi ex peccatoribus juſti poſterius effecti ſunt, ex malis boni, ex improbis continentes! quam multi in prima ætate turpes, & omnium judicio damnati, poſtmodum tamen laudabiles extiterunt! Quod utique non fieret, ſi omne peccatum pœna ſequeretur.

Leges publicæ manifeſtos reos damnant: ſed plurimi ſunt, quorum peccata occuluntur; plurimi, qui delatorem comprimunt, aut precibus, aut præmio; plurimi, qui judicia eludunt per gratiam, vel potentiam. Quod ſi eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, cenſura divina damnaret, eſſet homo aut rarus, aut etiam nullus in terra. Denique vel una illa cauſa delendi generis humani juſta eſſe potuiſſet,

quod

quod homines contempto Deo vivo, terrenis fragilibusque figmentis honorem divinum tanquam cœleſtibus deferunt, adorantes opera humanis digitis laborata. Cumque illos Deus artifex, ore ſublimi, ſtatu recto figuratos, ad contemplationem cœli & notitiam Dei excitaverit, curvare ſe ad terram maluerunt pecudum modo. Humilis enim, & curvus, & pronus eſt, qui ab aſpectu cœli Deique patris averſus, terrena, quæ calcare debuerat, id eſt, de terra ficta & formata, veneratur. In tanta igitur impietate hominum tantisque peccatis id aſſequitur patientia Dei, ut ſe ipſi homines damnatis vitæ prioris erroribus corrigant. Denique, & boni ſunt juſtique multi, & abjectis terrenis cultibus, majeſtatem Dei ſingularis agnoſcunt. Sed cum maxima & utiliſſima ſit Dei patientia, tamen, quamvis ſero, noxios punit, nec patitur longius procedere, cum eos inemendabiles eſſe perviderit.

---

## CAPUT XXI.

### *De Ira Dei & hominis.*

Supereſt una & extrema quæſtio. Nam dixerit fortaſſe quiſpiam, adeo non iraſci Deum, ut etiam in præceptis hominem iraſci vetet. Poſſem dicere, quod ira hominis refrænanda fuerit, quia injuſte ſæpe iraſcitur; & præſentem habet motum, quia temporalis eſt. Itaque ne fierent ea, quæ faciunt per iram & humiles, & mediocres, & magni reges, temperari debuit furor ejus, & comprimi, ne mentis impos aliquod inexpiabile facinus admitteret. Deus autem non ad præſens iraſcitur, quia æternus eſt perfectæque virtutis; & nunquam niſi merito iraſcitur. Sed tamen non ita res ſe habet. Nam ſi omnino prohiberet iraſci, ipſe quodammodo reprehenſor opifi-

cii

cii ſui fuiſſet, qui a principio iram jecori hominis indidiſſet: ſiquidem creditur, cauſam hujus commotionis in humore fellis contineri. Non igitur in totum prohibet iraſci, quia is affectus neceſſario datus eſt: ſed prohibet in ira permanere. Ira enim mortalium debet eſſe mortalis; nam ſi maneat, confirmantur inimicitiæ ad perniciem ſempiternam. Deinde rurſus cum iraſci quidem, ſed tamen non peccare præcepit, non utique evellit iram radicitus, ſed temperavit; ut in omni caſtigatione modum ac juſtitiam teneremus. Qui ergo iraſci nos jubet, ipſe utique iraſcitur: qui placari celerius præcipit, eſt utique ipſe placabilis; ea enim præcepit, quæ ſunt juſta, & rebus utilia communibus.

Sed quia dixeram non eſſe iram Dei temporalem, ſicut hominis, qui præſentanea commotione ferveſcit, nec facile regere ſe poteſt propter fragilitatem; intelligere debemus, quia ſit æternus Deus, iram quoque ejus in æternum manere: ſed rurſum, quia virtute ſit maxima præditus, in poteſtate habere iram ſuam; nec ab ea regi, ſed ipſum illam, quemadmodum velit, moderari: quod utique non repugnat ſuperiori. Nam ſi prorſus immortalis fuiſſet ira ejus, non eſſet ſatisfactioni aut gratiæ poſt delictum locus; cum ipſe homines ante ſolis occaſum reconciliari jubeat. Sed ira divina in æternum manet adverſus eos, qui peccant in æternum. Itaque Deus non thure, non hoſtia, non pretioſis muneribus, quæ omnia ſunt corruptibilia, ſed morum emendatione placatur; & qui peccare deſinit, iram Dei mortalem facit. Idcirco enim non ad præſens noxium quemque punit, ut habeat homo reſipiſcendi & corrigendi ſui facultatem.

## CAPUT XXII.

*De Peccatis; deque iis recitati verſus Sibyllæ.*

Hæc habui, quæ de ira Dei dicerem, Donate cariſſime; ut ſcires quemadmodum refelleres eos, qui Deum faciunt immobilem. Reſtat ut more Ciceronis utamur epilogo ad perorandum. Sicut ille in Tuſculanis de morte diſſerens fecit: ita nos in hoc opere teſtimonia divina, quibus credi poſſit, adhibere debemus, ut illorum perſuaſionem revincamus, qui ſine ira Deum eſſe credentes, diſſolvunt omnem Religionem: ſine qua, ut oſtendimus, aut immanitate belluis, aut ſtultitia pecudibus adæquamur, in ſola enim religione, id eſt, in Dei ſummi notione ſapientia eſt. Prophetæ univerſi divino ſpiritu repleti nihil aliud, quam de gratia Dei erga juſtos, & de ira ejus adverſus impios loquuntur. Quorum teſtimonia nobis quidem ſatis ſunt: verum iis quoniam non credunt iſti, qui ſapientiam capillis & habitu jactant, ratione quoque & argumentis fuerant a nobis refellendi. Sic enim præpoſtere agitur, ut humana divinis tribuant autoritatem, cum potius humanis divina debuerint. Quæ nunc ſane omittamus ne nihil apud iſtos agamus, & in infinitum materia procedat. Ea igitur quæramus teſtimonia, quibus illi poſſint, aut credere, aut certe non repugnare.

Sibyllas plurimi & maximi autores tradiderunt; Græcorum, Ariſto Chius & Apollodorus Erythræus; noſtrorum, Varro & Feneſtella. Hi omnes præcipuam, & nobilem præter cæteras Erythræam fuiſſe commemorant. Apollodorus quidem ut de civi ac populari ſua gloriatur. Feneſtella vero etiam legatos Erythras a Senatu eſſe miſſos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea Conſules Curio & Octavius in Capitolio, quod tunc erat

curan-

curante Quinto Catulo reſtitutum, ponenda curarent. Apud hanc de ſummo & conditore rerum Deo hujuſmodi verſus reperiuntur:

Ἀφθαρτος κτιςης αἰωνιος αἰθερα ναιων,
Τοις ἀγαθοις ἀγαθον προφερων, πολυ μειζονα μισθον;
Τοις δε κακοις ἀδικοις τε χολον και θυμον ἐγειρων.

Rurſus alio loco enumerans, quibus maxime facinoribus incitetur Deus, hæc intulit:

Φευγε δε λατρειας ἀνομȣς, θεῳ ζωντι λατρευε.
Μοιχειας τε φυλασσε, και ἀρσενος ἀκριτον εὐνην,
Ἰδιαν γενεαν παιδων τρεφε, μηδε φονευε;
Και γαρ ὁ ἀθανατος κεχολωσεται, ὁσκεν ἁμαρτῃ.

Indignatur ergo adverſus peccatores.

---

## CAPUT XXIII.

*De Ira Dei, & peccatorum punitione, deque ea Sibyllarum carmina recitata: caſtigatio præterea & adhortatio.*

Verum quia plures, ut oſtendi, Sibyllæ a doctiſſimis Autoribus fuiſſe traduntur, unius teſtimonium ſatis non ſit ad confirmandam, ſicut intendimus, veritatem. Cumeæ quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt, in arcanis habentur: cæterarum tamen fere omnium libelli, quominus in uſu ſint omnibus, non vetantur; ex quibus alia denuntians univerſis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorſa eſt:

Ἐρχομενης ὀργης μεγαλης ἐπι κοσμον ἀπειθη,
Ἐσχατον εἰς αἰωνα θεȣ μηνυματα φαινω,
Πασι προφητευσασα κατα πολιν ἀνθρωποισι.

 Alia

Alia quoque per indignationem Dei adverſus injuſtos cataclyſmum priore ſeculo factum eſſe dixit, ut malitia generis humani extingueretur.

> Ἐξ ȣ̓ μηνισαντος ἐπȣρανιοιο Θεοιο
> Αὐταισι πολιεσσι και ἀνθρωποισιν ἁπασιν,
> Γην ἐκαλυψε θαλασσα κατακλυσμοιο ῥαγεντος.

Simili modo deflagrationem poſtea futuram vaticinata eſt, qua rurſus impietas hominum deleatur.

> Και ποτε την ὀργην Θεον ȣ̓κ ἐτι πραυνοντα,
> Ἀλλ' ἐξεμβριθοντα, και ἐξολυοντα τε γενναν
> Ἀνθρωπων, ἁπασαν ὑπ' ἐμπρησμȣ περθοντα.

Unde apud Naſonem de Jove ita dicitur:

> *Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,*
> *Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli*
> *Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.*

Quod tunc fiat neceſſe eſt, cùm honor, & cultus Dei ſummi apud homines interierit.

Eadem tamen, placari eum pœnitentia factorum & ſui emendatione conteſtans, hæc addidit:

> Ἀλλ' ἐλεει μεταθεσθε βροτοι νυν, μη δε προς ὀργην
> Παντοιην ἀγαγητε Θεον μεγαν.

Item paulo poſt:

> Οὐκ ὀλεσει, παυσει δε παλιν χολον, εὖτ' ἀν ἁπαντες
> Εὐσεβεειν ἐριτιμον ἐνι φρεσιν ἀσκησητε.

Deinde alia Sibylla cœleſtium terrenorumque genitorem diligi oportere denuntiat, ne ad perdendos homines indignatio ejus inſurgat:

> Μηποτε θυμωθεις Θεος ἀφθιτος ἐξαπολεσσῃ
> Παν γενος ἀνθρωπων, βιοτον και φυλον ἀναιδες,
> Δει ϛεργειν γενετηρα Θεον σοφον αἰεν ἐοντα.

Ex

Ex his apparet vanas eſſe rationes philoſophorum, qui Deum putant ſine ira; & inter cæteras laudes ejus id ponunt, quod eſt inutiliſſimum, detrahentes ei, quod eſt rebus humanis maxime ſalutare, per quod conſtat ipſa majeſtas. Regnum hoc imperiumque terrenum niſi metus cuſtodiat, ſolvitur. Aufer iram regi, non modo nemo parebit, ſed etiam de faſtigio præcipitabitur. Imo vero cuilibet humili eripe hunc affectum, quis eum non ſpoliabit? quis non deridebit? quis non afficiet injuria? Ita nec indumenta, nec ſedem, nec victum poterit habere, aliis quidquid habuerit diripientibus; nedum putemus cœleſtis imperii majeſtatem ſine ira & metu poſſe conſiſtere. Apollo Mileſius, de Judæorum religione conſultus, reſponſo hoc indidit:

*Ἤδε θεον βασιληα και γεννητηρα προ παντων,*
*Ὃν τρεμεται και γαια, και ὐρανος, ἠδε θαλασσα,*
*Ταρταρεοι τε μυχοι, και δαιμονες ἐκφριττυσιν.*

Si tam lenis eſt, quam philoſophi volunt, quomodo ad nutum ejus non modo dæmones, & miniſtri tantæ poteſtatis, ſed etiam cœlum, & terra, & rerum natura omnis contremiſcit? Si enim nullus alteri ſervit niſi coactus, omne igitur imperium metu conſtat: metus autem per iram: nam ſi non moveatur quis adverſus parere nolentem, nec cogi poterit ad obſequium. Conſulat unusquisque affectus ſuos: jam intelliget, neminem poſſe ſine ira & caſtigatione imperio ſubjugari. Ubi ergo ira non fuerit, imperium quoque non erit. Deus autem habet imperium; ergo & iram, qua conſtat imperium, habeat neceſſe eſt. Quapropter nemo vaniloquentia philoſophorum inductus ad contemptum ſe Dei erudiat; quod eſt maximum nefas. Debemus hunc omnes & amare, quod pater eſt; & vereri, quod Dominus; & honorificare, quod beneficus; & metuere,

quod ſeverus: utraque perſona in eo venerabilis. Quis ſalva pietate non diligat animæ ſuæ parentem? aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator, habeat in omnes veram, & æternam poteſtatem? Si patrem conſideres, ortum nobis ad lucem, qua fruimur, ſubminiſtrat: per illum vivimus, per illum in hoſpitium hujus mundi intravimus. Si Deum cogites, ille nos innumerabilibus copiis alit, ille ſuſtentat, in hujus domo habitamus, hujus familia ſumus; & ſi minus obſequens, quam decebat, minusque officioſa, quam Domini & parentis immortalia merita poſcebant: tamen plurimum proficit ad veniam conſequendam, ſi cultum ejus notionemque teneamus; ſi abjectis humilibus terrenisque tam rebus, quam bonis, cœleſtia & divina ſempiterna meditemur. Quod ut facere poſſimus, Deus nobis ſequendus eſt, Deus adorandus & diligendus eſt; quoniam in eo eſt materia rerum, & ratio virtutum, & fons bonorum.

Quid enim Deo aut potentia majus eſt, aut ratione perfectius, aut claritate luculentius? Qui quoniam nos ad ſapientiam genuit, ad juſtitiam procreavit; non eſt fas hominem, relicto Deo ſenſus ac vitæ datore, terrenis fragilibusque famulari, aut quærendis temporalibus bonis inhærentem, ab innocentia & pietate deſciſcere. Non faciunt beatum vitioſæ ac mortiferæ voluptates, non opulentia libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores, quibus illaqueatus animus humanus, & corpori mancipatus, æterna morte damnatur: ſed innocentia ſola, ſola juſtitia, cujus legitima & digna merces eſt immortalitas, quam ſtatuit a principio Deus ſanctis & incorruptis mentibus, quæ ſe a vitiis, & ab omni labe terrena integras inviolatasque conſervant. Hujus præmii cœleſtis ac ſempiterni participes eſſe non poſſunt, qui facinoribus, fraudibus, rapinis, cir-

cum-

cumſcriptionibus conſcientiam ſuam polluerunt, quique injuriis hominum, nefariis commiſſis, ineluibiles ſibi maculas inuſſerunt. Proinde univerſos oportet, qui ſapientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia deſpicere, ut poſſint cum Deo beatiſſima neceſſitudine copulari.

Auferatur impietas, diſcordiæ; diſſenſionesque turbulentæ ac peſtiferæ ſopiantur, quibus humanæ ſocietates, & publici fœderis conjunctio divina rumpitur, dirimitur, diſſipatur: quantum poſſumus, boni ac benefici eſſe meditemur; ſi quid nobis opum, ſi quid ſuppetit copiarum, id non voluptati unius, ſed multorum ſaluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis eſt, quam corpus, cui exhibet miniſterium. Juſtitia vero & beneficentia tam immortales, quam mens & anima, quæ bonis operibus ſimilitudinem Dei aſſequitur. Sit nobis Deus non in templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructilia ſunt omnia, quæ manu fiunt. Mundemus hoc templum, quod non fumo, non pulvere, ſed malis cogitationibus ſordidatur; quod non cereis ardentibus, ſed claritate ac luce ſapientiæ illuminatur. In quo ſi Deum ſemper crediderimus eſſe præſentem, cujus divinitati ſecreta mentis patent, ita vivemus, ut & propitium ſemper habeamus, & nunquam vereamur iratum.

# LACTANTII
## LIBER
## AD
## DONATUM CONFESSOREM,
## DE
## MORTIBUS PERSECUTORUM.

### I.

Audivit Dominus orationes tuas, Donate cariſſime, quas in conſpectu ejus conſtantes fundis per dies omnes, & cariſſimorum fratrum, qui glorioſa confeſſione ſempiternam ſibi coronam pro fidei ſuæ meritis quæſierunt. Ecce addetur his omnibus adverſarius; & reſtituta per orbem tranquillitate, profligata nuper Eccleſia rurſum exſurgit, & majore gloria templum Dei, quod ab impiis fuerat everſum, miſericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes, qui tyrannorum nefaria & cruenta imperia reſciderunt, humano generi providerunt; ut jam quaſi diſcuſſo transacti temporis nubilo, mentes omnium pax jocunda & ſerena lætificet. Nunc poſt tantæ tempeſtatis violentos turbines, placidus aer & optata lux refulſit. Nunc placatus ſervorum ſuorum precibus, Deus jacentes & afflictos cœleſti auxilio ſublevat. En nunc mœrentium lacrymas, extincta impiorum conſpiratione, deterget; & qui illuſtati erant Deo, jacent; qui templum ſanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui juſtos excarnificaverant, cœleſtibus plagis, & cruciatibus meritis nocentes

centes animas profuderunt; ſerius quidem, ſed graviter ac digne. Diſtulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna & mirabilia exempla, quibus poſteri diſcerent, & Deum eſſe unum, & eumdem vindicem, digna videlicet ſupplicia impiis ac perſecutoribus inrogare. De quorum exitu ſcripto teſtificari placuit, ut omnes qui procul amoti fuerunt, vel qui poſtea futuri ſunt, ſcirent, quatenus virtutem ac majeſtatem ſuam in excindendis delendisque nominis ſui hoſtibus Deus ſummus oſtenderet. Hinc itaque utile eſt, ſi a principio ex quo eſt Eccleſia conſtituta, qui perſecutores, & quibus pœnis in eos cœleſtis judicis ſeveritas vindicaverit, exponam.

## II.

Extremis temporibus Tiberii Cæſaris, ut ſcriptum legimus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus a Judæis cruciatus eſt, poſt diem decimum Kalendarum Aprilium, duobus Geminis Conſulibus: cum reſurrexiſſet die tertio, congregavit diſcipulos, quos metus comprehenſionis ejus in fugam verterat; & diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit corda eorum, & Scripturas interpretatus eſt, quæ usque ad id tempus obſcuræ atque involuta fuerunt. Ordinavitque eos, & inſtruxit ad prædicationem dogmatis ac doctrinæ ſuæ, diſponens Teſtamenti novi ſolemnem diſciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, & ſubtractum oculis hominum rapuit in cœlum. Et inde diſcipuli, qui tunc erant undecim, adſumptis in locum Judæ proditoris Matthia & Paulo, diſperſi ſunt per omnem terram, ad Evangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperaverat; & per annos xxv. usque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias & civitates Eccleſiæ fundamenta miſerunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit; & editis

tis quibusdam miraculis, quæ virtute ipſius Dei, data ſibi ab eo poteſtate, faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele ac ſtabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam, damnata vetuſtate, tranſire; ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, proſilivit ad excidendum cœleſte templum, delendamque juſtitiam, & primus omnium perſecutus Dei ſervos, Petrum cruci adfixit, & Paulum interfecit. Nec tamen habuit impune; reſpexit enim Deus vexationem populi ſui. Dejectus itaque faſtigio imperii, ac devolutus a ſummo tyrannus impotens, nusquam repente comparuit; ut ne ſepulturæ quidem locus in terra tam malæ beſtiæ appareret. Unde illum quidam deliri credunt eſſe translatum, ac vivum reſervatum, Sibylla dicente matricidam profugum a finibus eſſe venturum; ut quia primus perſecutus eſt, idem etiam noviſſimus perſequatur, & Antichriſti præcedat adventum. Itaque fas eſt credere, ſicut duos Prophetas vivos eſſe translatos in ultima tempora, atque initium Chriſti ſanctum ac ſempiternum, cum deſcendere cœperit, quod Sibyllæ futurum prænuntiant: eodem modo etiam Neronem venturum putent, ut præcurſor diaboli ac prævius ſit venientis ad vaſtationem terræ, & humani generis everſionem.

## III.

Poſt hunc, interjectis aliquot annis, alter non minor tyrannus ortus eſt, qui cum exerceret injuſtam dominationem, ſubjectorum tamen cervicibus incubavit quam diutiſſime, tutusque regnavit, donec impias manus adverſus Dominum tenderet. Poſtquam vero ad perſequendum juſtum populum inſtinctu dæmonum incitatus eſt, tunc traditus in ma-

nus

nus inimicorum luit pœnas. Nec ſatis ad ultionem fuit, quod eſt interfectus: domi etiam memoria nominis ejus eraſa eſt. Nam cum multa mirabilia opera fabricaſſet, cum Capitolium aliaque nobilia monumenta feciſſet, Senatus ita nomen ejus perſecutus eſt, ut neque imaginum, neque titulorum ejus relinqueret ulla veſtigia, graviſſimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam ſempiternam. Reſciſſis igitur actis tyranni, non tantum in ſtatum priſtinum Eccleſia reſtituta eſt, ſed etiam multo clarius ac floridius enituit; ſecutisque temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſa, manus ſuas in orientem occidentemque porrexit; ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetraſſet; nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non ſuſcepto Dei cultu, ad juſtitiæ opera miteſceret. Sed enim poſtea longa pax rupta eſt.

IV.

Extitit enim poſt annos plurimos execrabile animal Decius, qui vexaret Eccleſiam. Quis enim juſtitiam, niſi malus perſequatur? Et quaſi hujus rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet. Nam profectus adverſus Carpos, qui tum Daciam Mœſiamque occupaverant, ſtatimque circumventus a barbaris, & cum magna exercitus parte deletus, nec ſepultura quidem potuit honorari: ſed exutus ac nudus, ut hoſtem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

V.

Non multo poſt Valerianus quoque non diſſimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit;

&

& multum, quamvis brevi tempore, juſti ſanguinis fudit. At illum Deus novo ac ſingulari pœnæ genere adfecit, ut eſſet poſteris documentum, adverſarios Dei ſemper dignam ſcelere ſuo recipere mercedem. Hic captus a Perſis, non modo imperium, quo fuerat inſolenter uſus, ſed etiam libertatem, quam cæteris ademerat, perdidit, vixitque in ſervitute turpiſſime. Nam Rex Perſarum Sapor, is qui eum ceperat, ſi quando libuerit aut vehiculum aſcendere, aut equum, inclinare ſibi Romanum jubebat, ac terga præbere, & impoſito pede ſupra dorſum ejus, illud eſſe verum dicebat [triumphi genus] exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille digniſſime triumphatus, aliquamdiu vixit, ut diu barbaris Romanum nomen ludibrio ac deriſui eſſet. Etiam hoc ei acceſſit ad pœnam, quod cum filium haberet Imperatorem, captivitatis ſuæ tamen ac ſervitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus eſt. Poſtea vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta eſt ei cutis, & exuta viſceribus pellis eſt infecta rubro colore, ut in templo barbarorum Deorum ad memoriam clariſſimi triumphi poneretur, legatisque noſtris ſemper eſſet oſtentus, ne nimium Romani viribus ſuis fiderent, cum exuvias capti Principis apud Deos ſuos cernerent. Cum igitur tales pœnas de ſacrilegis Deus exegerit, nonne mirabile eſt, auſum eſſe quemquam poſtea non modo facere, ſed etiam cogitare adverſus majeſtatem ſingularis Dei regentis & continentis univerſa?

## VI.

Aurelianus, qui eſſet natura veſanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminiſſet, tamen oblitus ſceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis laceſſivit. Verum illi ne perficere quidem

quæ

quæ cogitaverat, licuit: ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Cœnofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat, falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemptus. Talibus & tot exemplis coerceri poſteriores tyrannos opportebat. At hi non modo territi non ſunt, ſed audacius etiam contra Deum confidentiusque fecerunt.

## VII.

Diocletianus, qui ſcelerum inventor & malorum machinator fuit, cum diſperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abſtinere. Hic orbem terræ ſimul & avaritia, & timiditate ſubvertit. Tres enim participes regni ſui fecit, in quatuor partes orbe diviſo, & multiplicatis exercitibus, cum ſinguli eorum longe majorem numerum militum habere contenderunt, quam priores Principes habuerant, cum ſoli rempublicam gererent. Adeo major eſſe cœperat numerus accipientium, quam dantium, ut enormitate indictionum conſumptis viribus colonorum, dcſererentur agri, & culturæ verterentur in ſylvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in fruſta conciſæ, multi Præſides & plura Officia ſingulis regionibus, ac pene jam civitatibus incubare, item Rationales multi, & Magiſtri, & Vicarii Præfectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, ſed condemnationes tantum & proſcriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebræ, ſed perpetuæ, & in exactionibus injuriæ non ferendæ. Nec quoque tolerari poſſunt, quæ ad exhibendos milites ſpectant. Idem inſatiabili avaritia theſauros nunquam minui volebat: ſed ſemper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea quæ recondebat, integra atque inviolata ſervaret.

Idem

Idem cum variis iniquitatibus immenſam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium ſtatuere conatus eſt. Tunc ob exigua & vilia multus ſanguis effuſus, nec venale quidquam metu apparebat, & caritas multo deterius exarſit, donec lex neceſſitate ipſa poſt multorum exitium ſolveretur. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi, non minor provinciarum exactio in exhibendis operariis, & artificibus, & plauſtris omnibus, quæcumque ſint fabricandis operibus neceſſaria. Hic baſilicæ, hic circus, hic moneta, hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiæ. Repente magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum conjugibus ac liberis, quaſi urbe ab hoſtibus capta. Et cum perfecta hæc fuerant cum interitu provinciarum: Non recte facta ſunt, aiebat; alio modo fiant. Rurſus dirui ac mutari neceſſe erat, iterum fortaſſe caſura. Ita ſemper dementabat, Nicomediam ſtudens urbi Romæ coæquare. Jam illud prætereo, quam multi perierint poſſeſſionum aut opum gratia. Hoc enim uſitatum & fere licitum conſuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quod ubicumque cultiorem agrum viderat, aut ornatius ædificium, jam parata Domino calumnia & pœna capitalis, quaſi non poſſet rapere aliena ſine ſanguine.

## VIII.

Quid frater ejus Maximianus, qui eſt dictus Herculius? non diſſimilis ab eo. Nec enim poſſent in amicitia tam fideli cohærere, niſi eſſet in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua ſententia. Hoc ſolum differebant, quod avaritia minori altero fuit plus, majori vero minus; ſed plus timiditatis, plus vero animi, non ad bene faciendum, ſed ad male. Nam cum ipſam imperii ſedem teneret Italiam, ſubjacerentque opulentiſſimæ pro-

vinciæ

vinciæ vel Africa, vel Hiſpania, non erat in cuſtodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia ſuppetebat. Et cum opus eſſet, non deerant locupletiſſimi Senatores, qui ſubornatis indiciis affectaſſe imperium dicerentur, ita ut effoderentur aſſidue lumina Senatus. Cruentiſſimus fiſcus male partis opibus affluebat. Jam libido in homine peſtifero, non modo ad corrumpendos mares, quod eſt odioſum ac deteſtabile, verum etiam ad violandas primorum filias. Nam quacumque iter fecerat, avulſæ a conſpectu parentum virgines, ſtatim præſto. His rebus beatum ſe judicabat; his conſtare felicitatem imperii ſui putabat, ſi libidini & cupiditati malæ nihil denegaret.

Conſtantium prætereo, quoniam diſſimilis cæterorum fuit, dignusque qui ſolus orbem teneret.

## IX.

Alter vero Maximianus, quem ſibi generum Diocletianus aſciverat, non his duobus tantum, quos tempora noſtra ſenſerunt, ſed omnibus qui fuerunt, malis pejor. Inerat huic beſtiæ naturalis barbaries, & feritas a Romano ſanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus Transdanuviana, infeſtantibus Carpis, in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, ſtatus celſus, caro ingens, & in horrendam magnitudinem diffuſa & inflata. Denique & verbis, & actibus, & aſpectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrime. Cujus timoris hæc fuit cauſa. Narſeus, Rex Perſarum, concitatus domeſticis exemplis avi ſui Saporis, ad occupandum Orientem cum magnis copiis inhiabat.

Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticuloſus, animique disjectus, ſimul & exemplum Valeriani timens, non auſus eſt obviam tendere: ſed hunc per Armeniam miſit, ipſe in Oriente ſubſiſtens

&

& aucupans exitus rerum. Ille inſidiis ſuis barbaros, quibus mos eſt cum omnibus ſuis ad bellum pergere, multitudine impeditos, & ſarcinis occupatos non difficiliter oppreſſit; fugatoque Narſeo Rege, reverſus cum præda manubiis ingentibus, ſibi attulit ſuperbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque faſtus poſt hanc victoriam elevatus eſt, ut jam detrectaret Cæſaris nomen. Quod cum in litteris ad ſe datis audiſſet, truci vultu ac voce terribili exclamabat: QUOUSQUE CÆSAR? Exinde inſolentiſſime agere cœpit, ut ex Marte ſe procreatum, & videri, & dici vellet, tanquam alterum Romulum; maluitque Romulum matrem ſtupro infamare, ut ipſe Diis oriundus videretur. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Poſtea enim quam nomen Imperatoris accepit, exuto ſocero, tum demum furere cœpit, & contemnere omnia. Diocles [ſic] enim ante imperium vocabatur: cum rempublicam talibus conſiliis & talibus ſociis everteret, cum pro ſceleribus ſuis nihil non mereretur, tamdiu tamen ſumma felicitate regnavit, quamdiu manus ſuas juſtorum ſanguine non inquinaret. Quam vero cauſam perſequendi habuerit, exponam.

X.

Cum ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore ſcrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quærebat. Tum quidam miniſtrorum ſcientes Dominum, cum adſiſterent immolanti, impoſuerunt frontibus ſuis immortale ſignum. Quo facto, fugatis dœmonibus, ſacra turbata ſunt. Trepidabant aruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant; & quaſi non litaſſent, ſæpius immolabant. Verum identidem mactatæ hoſtiæ nihil oſtendebant, donec magiſter ille aruſpicum Tagis, ſeu ſuſpicione, ſeu viſu, ait idcirco non reſpondere

dere ſacra, quod rebus divinis profani homines intereſſent. Tunc ira furoris ſacrificare non eos tantum, qui ſacris miniſtrabant, ſed univerſos qui erant in palatio juſſit, & in eos, ſi detrectaſſent, verberibus animadverti; datisque ad Præpoſitos litteris, etiam milites cogi ad nefanda ſacrificia præcepit, ut qui non paruiſſent, militia ſolverentur. Hactenus furor ejus & ira proceſſit, nec amplius quidquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquanto tempore, in Bithyniam venit hyematum; eodemque tum Maximianus quoque Cæſar inflammatus ſcelere advenit, ut ad perſequendos Chriſtianos inſtigaret ſenem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc cauſam fuiſſe cognovi.

## XI.

Erat mater ejus Deorum montium cultrix, mulier admodum ſuperſtitioſa. Quæ cum eſſet, dapibus ſacrificabat pene quotidie, ac vicariis ſuis epulis exhibebat. Chriſtiani abſtinebant; & illa cum Gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus inſiſtebant. Hinc concepit odium adverſus eos, ac filium ſuum non minus ſuperſtitioſum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter ſe per totam hyemem conſilio, cum nemo admitteretur, & omnes de ſummo ſtatu reipublicæ tractari arbitrarentur, diu ſenex furori ejus repugnavit, oſtendens quam pernicioſum eſſet inquietari orbem terræ, fundi ſanguinem multorum; illos libenter mori ſolere, ſatis eſſe ſi palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis inſaniam. Placuit ergo amicorum ſententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ, cum bonum quid facere decreviſſet, ſine conſilio faciebat, ut ipſe laudaretur. Cum autem malum, quoniam re-

prehendendum ſciebat, in conſilium multos advocabat; ut aliorum culpæ adſcriberetur quidquid ipſe deliquerat. Admiſſi ergo judices pauci, & pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adverſus Chriſtianos odio, inimicos Deorum & hoſtes religionum publicarum tollendos eſſe cenſuerunt; & qui aliter ſentiebant, intellecta hominis voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes, in eamdem ſententiam congruerunt. Nec ſic quidem flexus eſt Imperator, ut accommodaret aſſenſum: ſed Deos potiſſimum conſulere ſtatuit, miſitque aruſpicem ad Apollinem Mileſium. Reſpondit ille ut divinæ religionis inimicus. Traductus eſt itaque a propoſito. Et quoniam nec amicis, nec Cæſari, nec Apollini poterat reluctari, hanc moderationem tenere conatus eſt, ut eam rem ſine ſanguine tranſigi juberet, cum Cæſar vivos cremari vellet, qui ſacrificio repugnaſſent.

## XII.

Inquiritur peragendæ rei dies aptus, & felix; ac potiſſimum Terminalia deliguntur, quæ ſunt ad ſeptimum Kalendas Martias, ut quaſi terminus imponeretur huic Religioni.

*Ille dies primus lethi, primusque malorum*
*Cauſa fuit,*

quæ & ipſis, & orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxiſſet: repente adhuc dubia luce ad Eccleſiam Præfectus cum ducibus, & Tribunis, & Rationalibus venit; & revulſis foribus, ſimulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, diſcurritur. Ipſi vero in ſpeculis, in alto enim conſtituta Eccleſia ex palatio videbatur, diu inter ſe concertabant, utrum ignem potius ſupponi oporteret. Vicit ſententia Dio-

Diocletianus, cavens ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet. Nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur Prætoriani acie ſtructa, cum ſecuribus & aliis ferramentis; & immiſſi undique, fanum illud editiſſimum paucis horis ſolo adæquarunt.

## XIII.

Poſtridie propoſitum eſt edictum, quo cavebatur, ut Religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, tormentis ſubjecti eſſent, ex quocumque ordine aut gradu venirent, adverſus eos omnis actio caleret; ipſi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere poſſent, libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etſi non recte, magno tamen animo diripuit & conſcidit, cum irridens diceret, victorias Gothorum & Sarmatarum propoſitas. Statimque productus, non modo extortus, ſed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia poſtremo exuſtus eſt.

## XIV.

Sed Cæſar non contentus eſt Edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propoſitum crudeliſſimæ perſecutionis impelleret, occultis miniſtris palatio ſubjecit incendium. Et cum pars quædam conflagraſſet, Chriſtiani arguebantur, velut hoſtes publici, & cum ingenti invidia ſimul cum palatio Chriſtianorum nomen ardebat: illos, conſilio cum eunuchis habito, de extinguendis Principibus cogitaſſe, duos Imperatores domi ſuæ pene vivos eſſe combuſtos. Diocletianus vero, qui ſemper ſe volebat videri aſtutum & intelligentem, nihil potuit ſuſpicari: ſed ira inflammatus, excarnificare omnes ſuos protinus cœpit. Sedebat ipſe, atque innocentes igne torrebat. Item judices univerſi, om-

nes denique, qui erant in palatio magiſtri, data poteſtate, torquebantur. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam reperiebatur; quippe cum familiam Cæſaris nemo torqueret. Aderat ipſe, & inſtabat, nec patiebatur iram inconſiderati ſenis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rurſum incendium molitus eſt. Id celerius animadverſum, nec tamen autor apparuit. Tunc Cæſar medio hyemis profectione parata prorupit, eodem die conteſtans, fugere ſe ne vivus arderet.

## XV.

Furebat ergo Imperator jam non in domeſticos tantum, ſed in omnes, & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priſcam ſacrificio pollui coegit. Potentiſſimi quondam eunuchi necati, per quos palatium & ipſe ante conſtabat. Comprehenſi Presbyteri ac miniſtri, & ſine ulla probatione ac confeſſione damnati, cum omnibus ſuis deducebantur. Omnis ſexus & ætatis homines ad exuſtionem rapti: nec ſinguli, quoniam tanta erat multitudo, ſed gregatim circumdato igni amburebantur; domeſtici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur. Nec minus in cæterum populum perſecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa diſperſi, univerſos ad ſacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur; & ne cui temere jus diceretur, aræ in ſecretariis ac pro tribunali poſitæ, ut litigatores prius ſacrificarent, atque ita cauſas ſuas dicerent; ſic ergo ad judices, tanquam ad Deos adiretur. Etiam litteræ ad Maximianum atque Conſtantium commeaverant, ut eadem facerent. Eorum ſententia in tantis rebus expectata non erat. Et quidem ſenex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Conſtantius, ne diſſentire a majorum præceptis videre-

deretur, conventicula, id eſt, parietes, qui reſtitui poterant, dirui paſſus eſt: verum autem Dei templum, quod eſt in hominibus, incolume ſervavit.

## XVI.

Vexabatur ergo univerſa terra, & præter Gallias, ab oriente usque ad occaſum tres acerbiſſimæ beſtiæ ſæviebant.

*Non mihi ſi linguæ centum ſint oraque centum,*
*Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim,*

quas Judices per provincias juſtis atque innocentibus intulerunt. Verum quid opus eſt illa narrare, præcipue tibi Donate cariſſime, qui præter cæteros tempeſtatem turbidæ perſecutionis expertus es? Nam cum incidiſſes in Flaccinum Præfectum, non puſillum homicidam, deinde in Hieroclem ex Vicario Præſidem, qui autor & conſiliarius ad faciendam perſecutionem fuit, poſtremo in Priſcillianum ſucceſſorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuiſti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis ſubjectus, novies adverſarium glorioſa confeſſione viciſti. Novem præliis zabulum cum ſatellitibus ſuis debellaſti: novem victoriis ſeculum cum ſuis terroribus triumphaſti.

Quam jocundum illud ſpectaculum Deo fuit, cum victorem te cerneret, non candidos equos, aut immanes elephantos, ſed ipſos potiſſimum triumphatores currui tuo ſubjugantem? Hic eſt verus triumphus, cum dominatores dominantur. Victi enim tua virtute ac ſubjugati ſunt; quandoquidem nefanda juſſione contempta, omnes apparatus ac terriculas tyrannicæ poteſtatis fide ſtabili & robore animi profligaſti. Nihil adverſus te verbera, nihil ungulæ, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum

genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. Hoc eſt eſſe diſcipulum Dei: hoc eſt militem Chriſti, quem nullus hoſtis expugnet, nullus lupus de caſtris cœleſtibus rapiat, nullus laqueus inducat, nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat. Denique poſt illas novem glorioſiſſimas pugnas, quibus a te zabulus victus eſt, non eſt auſus ulterius congredi tecum, quem tot præliis expertus eſt non poſſe ſuperari. Et cum tibi parata eſſet victrix corona, deſiit amplius provocare, ne jam ſumeres. Quam licet non acceperis in præſenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis & meritis in regno Domini reſervatur. Sed redeamus ad ordinem rerum.

## XVII.

Hoc igitur ſcelere perpetrato, Diocletiani cum jam felicitas ab eo receſſiſſet, perrexit ſtatim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad XII. Kalendas Decembres. Quibus ſolennibus celebratis, cum libertatem populi Romani ferre non poterat, impatiens, & æger animi, prorupit ex urbe impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus conſulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius quam Ravennæ procederet Conſul. Sed profectus hyeme, ſæviente frigore atque imbribus verberatus, morbum levem, at perpetuum traxit; vexatusque per omne iter, lectica plurimum vehebatur. Sic æſtate transacta, per circuitum ripæ Iſtricæ Nicomediam venit, morbo jam gravi inſurgente. Quo cum que ſe premi videret, prolatus eſt tamen, ut circum, quem fecerat, dedicaret anno poſt vicennalia repleto; deinde ita languore oppreſſus, ut per omnes Deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus Decembribus luctus repente in palatio, mœſtitia & lacrymæ, judicum trepida-

pidatio, & ſilentium. Tota civitate jam non modo mortuum, ſed etiam ſepultum dicebant, cum repente mane poſtridie pervagari fama quod viveret, domeſticorum ac judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt qui ſuſpicarentur celari mortem ejus, donec Cæſar veniret, ne quid forte a militibus novaretur. Quæ ſuſpicio tantum valuit, ut nemo crederet eum vivere, niſi Kalendis Martiis prodiiſſet, vix agnoſcendus, quippe qui anno fere toto ægritudine tabuiſſet. Et ille Idibus Decembribus ſopitus animam receperat, nec tamen totam. Demens enim factus eſt, ita ut certis horis inſaniret, certis reſipiſceret.

## XVIII.

Nec multis poſt diebus Cæſar advenit, non ut patri gratularetur, ſed ut eum cogeret imperio cedere. Jam conflixerat nuper [cum] Maximiano ſene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggreſſus eſt ergo Diocletianum, primum molliter & amice, jam ſenem eſſe dicens, jam minus validum, & adminiſtrandæ reipublicæ inhabilem, debere illum requieſcere poſt labores. Simul & exemplum Nervæ proferebat, qui imperium Trajano tradidiſſet. Ille vero aiebat, & indecens eſſe, ſi poſt tantam ſublimis faſtigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidiſſet, & minus tutum, quod in tam longo imperio multorum ſibi odia quæſiſſet. Nervam vero uno anno imperantem, cum pondus & curam tantarum rerum vel ætate, vel inſolentia, ferre non quiret, abjeciſſe gubernaculum reipublicæ, atque ad privatam vitam rediſſe, in qua conſenuerat. Verum ſi nomen imperatoris cuperet adipiſci, impedimento nihil eſſe, quominus omnes Auguſti nuncuparentur. At ille, qui orbem totum jam ſpe invaſerat, cum ſibi aut nihil præter nomen, aut non multum vide-

bat accedere, reſpondit debere ipſius diſpoſitionem in perpetuum conſervari, ut duo ſint in republica majores, qui ſummam rerum teneant; item duo minores, qui ſint adjumento: inter duos facile poſſe concordiam ſervari, inter quatuor pares nullo modo. Si ipſe cedere noluiſſet, ſe ſibi conſulturum, ne amplius minor & extremus eſſet. Jam fluxiſſe annos quindecim, in Illyricum, id eſt, ad ripam Danubii relegatus, cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores & quietiores terras delicate imperarent.

His auditis, ſenex languidus, qui jam & Maximiani ſenis litteras acceperat, ſcribentis quæcumque locutus fuiſſet, & didicerat augeri ab eo exercitum, lacrymabundus:

DIOCLET. Fiat, inquit, ſi hoc placet. Supererat ut, communi conſilio omnium Cæſares legerentur.

GALERIUS. Quid opus eſt conſilio, cum ſit neceſſe illis duobus placere quidquid nos fecerimus?

D. Ita plane. Nam illorum filios nuncupari neceſſe eſt. Erat autem Maximiano [filius] Maxentius, hujus ipſius Maximiani gener, homo pernicioſæ ac malæ mentis, adeo ſuperbus & contumax, ut neque patrem, neque ſocerum ſolitus ſit adorare. Et idcirco utrique inviſus fuit. Conſtantio quoque filius erat Conſtantinus, ſanctiſſimus adoleſcens, & illo faſtigio digniſſimus, qui inſigni & decoro habitu corporis, & induſtria militari, & probis moribus, & comitate ſingulari, a militibus amaretur, a privatis & optaretur. Eratque tunc præſens, jam pridem a Diocletiano factus Tribunus ordinis primi.

D. Quid ergo fiet?

G. Ille, inquit, dignus non eſt. Qui enim me privatus contempſit, quid faciet, cum imperium acceperit?

D. Hic,

D. Hic vero & amabilis eſt, & ita imperaturus, ut patre ſuo melior & clementior judicetur?

G. Ita fiet, ut ego non poſſim facere quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui ſint in mea poteſtate, qui timeant, qui nihil faciant, niſi meo juſſu.

D. Quos ergo faciemus?

G. Severum, inquit.

D. Illumne ſaltatorem, temulentum, ebrioſum, cui nox pro die, & dies pro nocte?

G. Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter præbuit, & eum miſi ad Maximianum, ut ab eo induatur.

D. Eſto. Alterum quem dabis?

G. Hunc, inquit, oſtendens Daiam adoleſcentem quemdam ſemibarbarum, quem recens juſſerat Maximianum vocari de ſuo nomine. Jam & ipſi Diocletianus nomen ex parte mutaverat ominis cauſa, quia Maximianus fidem ſumma religione præſtabat.

D. Quis eſt hic, quem mihi offers?

G. Meus, inquit, affinis.

D. At ille gemebundus: Non idoneos homines mihi das, quibus tutela Reipublicæ committi poſſit.

G. Probavi eos, inquit.

D. Tu videris, qui regimen imperii ſuſcepturus es. Ego ſatis laboravi, & providi quemadmodum, me imperante, Reſpublica ſtaret incolumis. Si quid acceſſerit adverſi, mea culpa non erit.

## XIX.

Cum hæc eſſent conſtituta, procedit Kalendis Maiis. Conſtantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & priores militum electi, & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant, & vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad millia fere tria, in cujus ſummo Maximianus ipſe purpuram ſumpſerat; & ibi

columna fuerat erecta cum Jovis ſigno. Eo pergitur. Concio militum convocatur. Inquit ſenex cum lacrymis, alloquitur milites: ſe invalidum eſſe, requiem poſt labores petere, imperium validioribus tradere, alios Cæſares ſubrogare. Summa omnium expectatio quid afferret. Tunc repente pronuntiat Severum & Maximinum Cæſares. Obſtupeſiunt omnes in tribunali. Conſtantinus aſtabat ſuſum: hæſitare inter ſe, num Conſtantini immutatum nomen eſſet, cum in conſpectu omnium Maximianus manum retrorſum extendens, protraxit a tergo Daiam, Conſtantino repulſo, & exutum veſtem privatam, conſtituit in medium. Mirari omnes qui eſſet, unde eſſet. Nemo tamen reclamare auſus eſt, cunctis inſperatæ novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit ſuam, qua ſe exuit, & Diocles iterum factus eſt. Tum deſcenditur; & rheda per civitatem veteranus Rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daia vero ſublatus nuper a pecoribus & ſilvis, ſtatim Scutarius, continuo Protector, mox Tribunus, poſtridie Cæſar, accepit Orientem calcandum & conterendum; quippe qui neque militiam, neque Rempublicam ſciret, jam non pecorum, ſed militum paſtor.

XX.

Maximianus, poſtquam ſenibus expulſis, quod voluit & fecit, ſe jam ſolum totius orbis Dominum eſſe rebatur. Nam Conſtantium, quamvis priorem nominari eſſet neceſſe, contemnebat, quod & natura mitis eſſet, & valitudine corporis impeditus. Hunc ſperabat brevi obiturum; & ſi non obiſſet, vel invitum exuere facile videbatur. Quid enim faceret, ſi a tribus cogeretur imperium deponere? Habebat ipſe Licinium veteris contubernii amicum, & a prima militia familiarem, cujus conſiliis ad omnia

regen-

regenda utebatur. Sed eum Cæſarem facere noluit, ne filium nominaret, vel ut poſtea in Conſtantii locum nuncuparet Auguſtum atque fratrem; tunc vero ipſe principatum teneret, ac pro arbitrio ſuo debacchatus in orbem terræ, vicennalia celebraret, ac ſubſtituto Cæſare filio ſuo, qui tunc erat novennis, & ipſe deponeret: ita cum imperii ſummam tenerent Licinius ac Severus, & ſecundum Cæſarum nomen Maximinus & Candidianus, inexpugnabili muro circumſeptus ſecuram & tranquillam degeret ſenectutem. Hoc conſilia eis oſtendebant. Sed Deus, quem ſibi fecit infeſtum, cuncta illius cogitata diſſolvit.

## XXI.

Adeptus igitur maximam poteſtatem, ad vexandum orbem, quem ſibi patefecerat animum intendit. Nam poſt devictos Perſas, quorum hic ritus, hic mos eſt, ut Regibus ſuis in ſervitium ſe addicant, & Reges populo ſuo tanquam familia utantur, hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere quem ex illo tempore victoriæ ſine pudore laudabat. Et quia id aperte jubere non poterat, ſic agebat, ut & ipſe libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non Decuriones modo, ſed Primores etiam civitatum, egregii ac perfectiſſimi viri, & quidem in cauſis levibus atque civilibus. Si morte digni viderentur, cruces ſtabant; ſin minus, compedes parati. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynæceum rapiebantur. Si quis eſſet verberandus, defixi in ſtabulo pali quatuor ſtabant, ad quos nullus unquam ſervus diſtendi ſolebat. Quid luſorium, vel delicias ejus referam? Habebat urſos ferociæ ac magnitudinis ſuæ ſimillimos, quos toto imperii ſui tempore elegerat. Quoties delectari libuerat, horum aliquem adferri nominatim jubebat. His homines non plane comedendi,

dendi, ſed obſorbendi objectabantur: quorum artus cum diſſiparentur, ridebat ſuaviſſime; nec unquam ſine humano cruore cœnabat. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit; & hæc ille primo adverſus Chriſtianos permiſerat, datis legibus, ut poſt tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Qui cum deligati fuiſſent, ſubdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum ſolorum contractum igni ab oſſibus revelleretur. Deinde incenſæ faces & extinctæ admovebantur ſingulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc ſuffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne areſcentibus ſiccitate faucibus, cito ſpiritus redderetur; quod poſtremo accidebat, cum per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viſcera penetraſſet. Hinc rogo facto cremabantur; corpore jam cremato lecta oſſa, & in pulverem comminuta, jactabantur in flumine ac mare.

## XXII.

Quæ igitur in Chriſtianis excruciandis didicerat, conſuetudine ipſa in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis: non inſulæ, non carceres, non metalla; ſed ignis, crux, feræ, in illo erant quotidiana & facilia. Domeſtici & Adminiſtratores lancea emendabantur. In curia pœna capitis & animadverſio gladii admodum paucis quaſi beneficium deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Jam illa huic levia fuerant. Eloquentia extincta, cauſidici ſublati, jureconſulti aut relegati, aut necati. Litteræ autem inter malas artes habitæ; & qui eas noverant, pro inimicis hoſtibuſque protriti & execrati. Licentia rerum omnium, ſolutis legibus, adſumpta & judicibus data. Judices militares, humanitatis litterarum rudes, ſine adſeſſoribus in provincias immiſſi.

XXIII.

## XXIII.

At vero illud publicæ calamitatis & communis luctus omnium fuit, cenſus in provincias & civitates ſemel miſſus, cenſitoribus ubique diffuſis, & omnia exagitantibus, hoſtilis tumultus, & captivitatis horrendæ ſpecies erant. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis ſcribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanæ ac ruſticæ plebes adunatæ, fora omnia gregibus familiarum referta; unusquisque cum liberis, cum ſervis aderant: tormenta ac verbera perſonabant, filii adverſus parentes ſuſpendebantur, fideliſſimi quique ſervi contra Dominos vexabantur, uxores adverſus maritos. Si omnia defecerant, ipſi contra ſe torquebantur; & cum dolor vicerat, adſcribebantur quæ non habebantur. Nulla ætatis, valitudinis excuſatio. Ægri & debiles deferebantur; æſtimabantur ætates ſingulorum: parvulis adjiciebantur anni, ſenibus detrahebantur. Luctu & mœſtitia plena omnia. Quæ veteres adverſus victos jure belli fecerant, hæc ille adverſus Romanos Romanisque ſubjectos facere auſus eſt; quia parentes ejus cenſui ſubjugati fuerant, quem Trajanus Daciis aſſidue rebellantibus pœnæ gratia victor impoſuit. Poſt hoc, pecuniæ pro capitibus pendebantur, & merces pro vita dabatur. Non tamen hisdem cenſitoribus fides habebatur: ſed alii ſuper alios mittebantur, tanquam plura inventuri. Et duplicabatur ſemper, illis non invenientibus, ſed ut libuit addentibus, ne fruſtra miſſi viderentur. Interea minuebantur animalia, & mortales obibant, & nihil minus ſolvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam, nec mori ſaltem gratis liceret. Mendici ſupererant ſoli, a quibus nihil exigi poſſit, quos ab omni genere injuriæ tutos miſeria & infelicitas fecerat. Atqui homo impius miſertus eſt illis, ut non egerent. Congregari juſſit, & expo-

exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem miſericordem, qui providerit nequis, illo imperante, miſer eſſet. Ita, dum cavit, ne quis ſimulatione mendicitatis cenſum ſubterfugiat, multitudinem virorum miſerorum contra omne jus humanitatis occidit.

## XXIV.

Jam propinquavit illi judicium Dei, ſecutumque tempus eſt, quo res ejus dilabi ac fluere cœperunt. Nondum animum intenderat ad evertendum pellendumve Conſtantium. Dum eſt occupatus his rebus, quas ſuperius expoſui, & expectabat obitum ejus: ſed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cum graviter laboraret, miſerat litteras, ut filium ſuum Conſtantinum remitteret ſibi videndum, & quidem jamdudum. Ille vero nihil minus volebat. Nam & in inſidiis ſæpe juvenem adpetiverat; quia palam nihil audebat, ne contra ſe arma civilia, &, quod maxime verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitii ac luſus feris illum objecerat: ſed fruſtra; quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipſo cardine. Namque ſæpius cum jamdiu necare non poſſet, dedit illi ſigillum, inclinante jam die, præcepitque ut poſtridie mane, acceptis mandatis, proficiſceretur, vel ipſe illum occaſione aliqua retentaturus, vel præmiſſurus litteras, ut a Severo teneretur. Quæ cum ille proſpiceret, quieſcente jam Imperatore, poſt cœnam properavit exire, ſublatisque per manſiones multas omnibus equis publicis, evolavit. Poſtridie Imperator, cum conſulto ad medium diem usque dormiſſet, vocari eum jubet. Dicitur ei poſt cœnam ſtatim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poſcebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei curſus publicus nunciatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate uſus, perve-

nit

nit ad patrem jam deficientem, qui ei, militibus commendato, imperium per manus tradidit; atque ita in lecto ſuo requiem vitæ, ſicut optabat, accepit. Suſcepto Imperio, Conſtantinus Auguſtus nihil egit prius, quam Chriſtianos cultu ac Deo ſuo reddere. Hæc fuit prima ejus ſanctio ſanctæ religionis reſtitutæ.

XXV.

Paucis poſt diebus, laureata imago ejus allata eſt ad malam beſtiam. Deliberavit diu an ſuſciperet. In eo pene res fuit, ut illam, & ipſum qui attulerat, exureret; niſi eum amici ab illo furore flexiſſent, admonentes eum periculi, quod univerſi milites, quibus invitis, ignoti Cæſares erant facti, ſuſcepturi Conſtantinum fuiſſent, atque ad eum concurſuri alacritate ſumma, ſi veniſſet armatus. Suſcepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipſi purpuram miſit, ut ultro aſciviſſe illum in ſocietatem videretur. Jam turbatæ rationes ejus fuerant, nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum, qui erat ætate maturior, Auguſtum nuncuparet, Conſtantinum vero non Imperatorem, ſicut erat factus, ſed Cæſarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de ſecundo loco rejiceret in quartum.

XXVI.

Compoſitæ ei res quodam modo jam videbantur, cum ſubito illi alius terror adlatus eſt, generum ipſius Maxentium Romæ factum imperatorem. Cujus motus hæc fuit cauſa. Cum ſtatuiſſet cenſibus inſtitutis orbem terræ devorare, ad hanc usque proſiluit inſaniam, ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam Cenſitores, qui Romam miſſi deſcriberent plebem. Eodem fere tempore caſtra quoque Prætoria

ſuſtu-

ſuſtulerat. Itaque milites pauci, qui Romæ in caſtris relicti erant, opportunitatem nacti, occiſis quibusdam judicibus, non invito populò, qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus eſt, nec tamen nimium territus. Et oderat hominem, & tres Cæſares facere non poterat. Satis viſum eſt ſemel feciſſe quod noluit. Severum arceſſit, & hortatus ad recipiendum imperium, mittit eum cum exercitu Maximiani ad expugnandum Maxentium; & mittit Romam in qua milites illi ſummis deliciis ſæpiſſime excepti, non modo ſalvam eſſe illam urbem, ſed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris ſibi conſcius, licet jure hæreditatis paternos milites traducere ad ſe poſſet, cogitans tamen fieri poſſe, ut Maximianus ſocer idipſum metuens Severum in Illyrico relinqueret, atque ipſe cum ſuo exercitu ad ſe oppugnandum veniret, quærebat quatenus ſe a periculo impendente muniret. Patri ſuo poſt depoſitum imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Auguſtum nominat. Ille vero & rerum novarum cupidus, & qui depoſuerat invitus, libenter arripuit. Severus interim vadit, & ad muros Urbis armatus accedit. Statim milites, ſublatis ſignis, abeunt, & ſe contra quem venerant, tradunt. Quid reſtabat deſerto, niſi fuga? Sed occurrebat jam reſumpto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique ſe cum paucis militibus incluſit. Qui cum videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit ſeſe ipſe, veſtemque purpuream eidem, a quo acceperat, reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit, niſi bonam mortem. Nam venis ejus inciſis, leniter mori coactus eſt. Ab hoc cœpit ſuos perſequi.

XXXVII.

XXVII.

Herculius vero cum Maximiani noſſet inſaniam, cogitare cœpit illum, audita nece Severi, inflammatum ira, cum exercitu eſſe venturum, & fortaſſe adjuncto Maximino, ac duplicatis copiis, quibus reſiſti nullo modo poſſet: Urbe munita, & rebus cœptis inimicis diligenter inſtructis, proficiſcitur in Galliam, ut Conſtantinum partibus ſuis conciliaret, ſuæ minoris filiæ nuptiis. Ille interea, coacto exercitu, invadit Italiam, ad Urbem accedit, Senatum extincturus, populum trucidaturus. Verum clauſa & munita omnia offendit. Nulla erat ſpes inrumpendi: oppugnatio difficilis; ad circumſedendum mœnia non ſatis copiarum, quippe qui nunquam viderat Romam, æſtimaretque illam non multo eſſe majorem, quam quas noverat civitates. Tunc quædam legiones deteſtantes ſcelus, quod ſocer generum oppugnaret, & quod Romani milites Romam, translatis ſignis, imperium reliquerunt. Et jam cæteri milites nutabant, cum ille, fracta ſuperbia, dimiſſisque animis, & Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat, ne hoſti traderetur, donec promiſſis ingentibus flexit animos quorumdam, & retro ſigna convertit, ac fugam trepidus capeſſivit; in qua opprimi facillime potuit, ſi cum paucis quispiam ſequeretur. Quod cum timeret, dedit militibus poteſtatem, ut diſperſi quam latiſſime diriperent omnia, vel corrumperent; ut ſi quis inſequi voluiſſet, utenſilia non haberet. Vaſtata eſt igitur ea pars Italiæ, quo peſtiferum illud agmen inceſſit: expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ, extorti parentes & mariti, ut filias, ut conjuges, ut opes ſuas proderent. Abactæ tanquam de barbaris prædæ pecorum ac jumentorum. Hoc modo ſe ad ſedes ſuas recepit, cum Romanus quondam Imperator, nunc populator Italiæ, hoſtiliter univerſa vexaſſet. Olim

quidem ille, ut nomen Imperatoris acceperat, hoſtem ſe Romani nominis erat profeſſus, cujus titulum immutari volebat; ut non Romanum imperium, ſed Daciſcum cognominaretur.

## XXVIII.

Poſt hujus fugam, cum ſe Maximianus alter e Gallia recepiſſet, habebat imperium commune cum filio: Sed juveni magis parebatur, quam ſeni, quippe cum prior & major filii poteſtas eſſet, qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo ſenex, quod non poſſet libere facere quod vellet, & filio ſuo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adoleſcentem, ut ſibi ſua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant [ſui,] qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quaſi concionem de præſentibus Reipublicæ malis habiturus. De quibus cum multa dixiſſet, convertit ad filium manus; & illum eſſe dicens autorem malorum, illum principem calamitatum, quas Respublica ſuſtineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exutus ille præcipitem ſe de tribunali dedit, & a militibus exceptus eſt. Quorum ira & clamore perturbatus eſt ſenex impius, & ab urbe Roma, tanquam Superbus alter, exactus eſt.

## XXIX.

Rediens rurſus in Gallias, ubi aliquantum moratus eſt, profectus ad hoſtem filii ſui Maximianum, quaſi ut de componendo Reipublicæ ſtatu cum eo diſputaret; re autem vera ut illum per occaſionem reconciliationis occideret, ac regnum ejus teneret, excluſus a ſuo, quocumque veniſſet. Aderat ibi Diocles, a genero nuper accitus, ut quod ante non fecerat, præſente illo imperium Licinio daret, ſubſtituto in Severi loco. Itaque fit utroque præſente.

Sic

Sic uno tempore ſex fuerunt. Quare impeditis conſiliis ſenex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur: redit in Galliam plenus malæ cogitationis ac ſceleris, ut Conſtantinum Imperatorem generum ſuum, generi filium, dolo malo circumveniret; & ut poſſet fallere, deponit regiam veſtem. Francorum gens in armis erat. Perſuadet nihil ſuſpicanti, ne omnem ſecum exercitum duceret, paucis militibus poſſe barbaros debellari; ut & ipſe haberet exercitum, quem occuparet, & ille opprimi poſſet ob militum paucitatem. Credit adoleſcens, ut perito, ac ſeni; paret ut ſocero: proficiſcitur, relicta militum parte majore. Ille, paucis diebus expectatis, cum jam Conſtantinum æſtimaret intraſſe fines barbarorum, repente purpuram ſumit, theſauros invadit, donat, ut ſolet, large; fingit de Conſtantino, quæ in ipſum protinus reciderunt. Imperatori propere quæ geſta ſunt, nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviſo, nondum ſatis inſtructus; milites ad Imperatorem ſuum redeunt. Occupaverat Maſſiliam, & portas obſeraverat. Accedit propius Imperator; & in muro adſtantem alloquitur, non aſpere, nec hoſtiliter: ſed rogat quid ſibi voluiſſet, quid ei defuiſſet, cur faceret quod ipſum præcipue non deceret. Ille vero ingerebat maledicta de muris. Tum ſubito a tergo ejus portæ reſerantur, milites recipiuntur. Adtrahitur ad Imperatorem rebellis Imperator, pater impius, ſocer perfidus. Audit ſcelera quæ fecit, detrahitur ei veſtis, & increpito vita donatur.

## XXX.

Sic amiſſo Imperatoris ac ſoceri honore, humilitatis impatiens, alias rurſus inſidias machinatus eſt. Quia ſemel habuit impune, vocat filiam Fauſtam, eamque nunc precibus, nunc blandimentis ſollicitat

ad proditionem mariti, alium digniorem virum pollicetur, petit cubiculum patens relinqui, & negligentius cuſtodiri ſinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur ſcena, qua manifeſto facinus teneretur. Supponitur quidam vilis eunuchus, qui pro imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempeſta: videt omnia inſidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longius; quibus tamen dicit vidiſſe ſomnium, quod filio ſuo narrare vellet. Ingreditur armatus, & ſpadone obtruncato, proſiliit gloriabundus, ac profitetur quod admiſerit. Repente ſe ex altera parte Conſtantinus oſtendit cum globo armatorum. Profertur e cubiculo cadaver occiſi: hæret manifeſtarius homicida, & mutus ſtupet,

*Quaſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes;*

impietatis ac ſceleris increpatur. Poſtremo datur ei poteſtas liberæ mortis;

*Ac nodum informis leti trabe nectit ab alta.*

Ita ille Romani nominis maximus Imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliſo & fracto ſuperbiſſimo gutture, vitam deteſtabilem turpi & ignominioſa morte finivit.

## XXXII.

Ab hoc Deus, religionis ac populi ſui vindex, oculos ad Maximianum alterum tranſtulit, nefandæ perſecutionis autorem, ut in eo etiam virtutem majeſtatis oſtenderet. Jam de agendis & ipſe vicennalibus cogitabat; & ut qui jamdudum provincias afflixerat auri argentique indictionibus factis, quæ promiſerat redderet, etiam in nomine vicennalium ſecurem alteram afflixit. Qua vexatione generis humani

exactio

exactio celebrata ſit, maxime rei annonariæ, ecquis enarrare digne poteſt? Officiorum omnium milites, vel potius carnifices, ſingulis adhærebant; cui prius ſatisfieret, incertum: venia non habentibus nulla; ſuſtinendi multiplices cruciatus, niſi exhiberetur ſtatim, quod non erat: multis cuſtodiis circumſepto nulla reſpirandi facultas; nullo tempore anni vel exigua requies; frequens ſuper hisdem hominibus, vel ipſis judicibus, vel militibus judicum pugna: nulla area ſine exactore, nulla vindemia ſine cuſtode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quanquam intolerabilia ſint, eripi ab ore hominum cibos labore quæſitos, tamen ſuſtentabile aliquo modo vel ſpe futurorum. Quid veſtis omnis generis? quid aurum? quid argentum? Nonne hæc neceſſe eſt ex venditis fructibus comparari? Unde igitur hoc, o dementiſſime tyranne, præſtabo, cum omnes fructus auferas, univerſa naſcentia violenter eripias? Quis ergo non bonis ſuis everſus eſt, ut opes, quæ ſub imperio ejus fuerunt, conraderentur ad votum, quod non erat celebraturus.

## XXXII.

Nuncupato igitur Licinio Imperatore, Maximinus iratus, nec Cæſarem ſe, nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum ſæpe legatos: orat ſibi pareat, diſpoſitionem ſuam ſervet, cedat ætati, & honorem deferat canis. At ille tollit audacius cornua, & præſcriptione temporis pugnat ſe priorem eſſe debere, qui prior ſumpſerit purpuram; preces ejus & mandata contemnit. Dolet beſtia, & mugit, quod cum ideo ignobilem feciſſet Cæſarem, ut ſibi obſequens eſſet, is tamen tanti beneficii ſui oblitus, voluntati ac precibus ſuis impie repugnaret. Victus contumacia, tollit Cæſarum nomen, & ſe Liciniumque Auguſtos apellat, Maxentium & Conſtantinum filios Auguſtorum. Maximinus poſtmodum ſcribit,

 quaſi

quaſi nuntians in campo Martio proxime celebrato Auguſtum ſe ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mœſtus ac dolens; & univerſos quatuor, Imperatores jubet numerari.

## XXXIII.

Jam decimus & octavus annus agebatur, cum percuſſit eum Deus inſanabili plaga. Naſcitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, ſerpitque latius. Medici ſecant, curant. Sed inductam jam cicatricem ſcindit vulnus; & rupta vena, fluit ſanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor ſiſtitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. Rurſus levi corporis motione vulneratur: plus ſanguinis quam ante decurrit. Albeſcit ipſe, atque abſumptis viribus tenuatur; & tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non ſentire medicinam: proxima quæque cancer invadit; & quanto magis circum ſecatur, latius ſævit, quanto curatur, increſcit.

*—— Ceſſere magiſtri*
*Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.*

Undique Medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola. Apollo & Aſclepius orantur; remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multo pejus augetur. Jam non longe pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computreſcunt forinſecus viſcera, & in tabem ſedes tota dilabitur. Non deſinunt tamen infelices Medici, vel ſine ſpe vincendi mali, fovere, curare. Repercuſſis medullis, malum recidit introrſus, & interna comprehendit; vermes intus creantur. Odor it autem non modo per palatium: ſed totam civitatem pervadit. Nec mirum, cum jam confuſi eſſent exitus ſtercoris & urinæ. Comeſtum a vermibus

bus & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus ſolvitur.

*Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit,*
*Quales mugitus fingit ſaucius taurus.*

Apponebantur ad ſedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis reſolutis, inæſtimabile ſcatebat examen; & tamen multo majorem copiam tabeſcendorum viſcerum pernicies fœcunda generaverat. Jam diverſo malo partes corporis amiſerant ſpeciem. Superior usque ad vulnus aruerat, & miſerabili macie cutis lurida longe inter oſſa conſederat. Inferior ſine ulla pedum forma, in utrium modum inflata diſcreverat. Et hæc facta ſunt per annum perpetem; cum tandem malis domitus Deum coactus eſt confiteri: novi doloris urgentis per intervalla exclamat, ſe reſtituturum Deï templum, ſatisque pro ſcelere facturum. Et jam deficiens edictum miſit hujusmodi:

## XXXIV.

## EDICTUM GALERII.

*Inter cætera quæ pro Reipublicæ ſemper commodis atque utilitate diſponimus, nos quidem volueramus antehac, juxta leges veteres & publicam diſciplinam, Romanorum cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam Chriſtiani, qui parentum ſuorum reliquerant ſectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem eadem ratione tanta eosdem Chriſtianos voluntas invaſiſſet, & tanta ſtultitia occupaſſet, ut non illa veterum inſtituta ſequerentur, quæ forſitan primum parentes eorumdem conſtituerant: ſed pro arbitrio ſuo, atque ut hisdem erat libitum, ita ſibimet leges facerent, quas obſervarent, & per diverſa varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi noſtra juſſio extitiſſet, ut ad veterum ſe inſtituta conferrent, multi periculo ſubjugati, multi*

*etiam deturbati ſunt; atque cum plurimi in propoſito perſeverarent, ac videremus nec Diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Chriſtianorum Deum obſervare, contemplatione mitiſſimæ noſtræ clementiæ intuentes & conſuetudinem ſempiternam, qua ſolemus cunctis hominibus veniam indulgere, promptiſſimam in his quoque indulgentiam noſtram credidimus porrigendam; ut denuo ſint Chriſtiani, & conventicula ſua componant, ita ut ne quid contra diſciplinam agant. Alia autem epiſtola judicibus ſignificaturi ſumus, quid debeant obſervare. Unde juxta hanc indulgentiam noſtram debebunt Deum ſuum orare pro ſalute noſtra, & Reipublicæ, ac ſua, ut undique verſum Reſpublica perſtet incolumis, & ſecuri vivere in ſedibus ſuis poſſint.*

## XXXV.

Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie Kalendas Maias, ipſo octies, & Maximino iterum Conſulibus. Tunc apertis carceribus, Donate cariſſime, cum cæteris confeſſoribus e cuſtodia liberatus es, cum tibi carcer ſex annis pro domicilio fuerit. Nec tamen ille hoc facto veniam ſceleris accepit a Deo: ſed poſt dies paucos commendatis Licinio conjuge ſua & filio, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe conſumptus eſt. Idque cognitum Nicomediæ Id. menſis ejusdem, cum futura eſſent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus.

## XXXVI.

Quo nuntio Maximinus audito, diſpoſitis ab Oriente curſibus pervolavit, ut provincias occuparet, ac Licinio morante, omnia ſibi usque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingreſſusque Bithyniam, quo ſibi ad præſens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia ſuſtollit cenſum. Diſcordia inter ambos

bos

bos Imperatores, ac pene bellum. Diverſas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur, & in ipſo freto fœdus fit, ac dexteræ copulantur. Redit ille ſecurus, & fit qualis in Syria & in Ægypto fuit. In primis indulgentiam Chriſtianis communi titulo datam tollit, ſubornatis legationibus civitatum, quæ peterent, ne intra civitates ſuas Chriſtianis conventicula extruere liceret, ut ſuaſu coactus & impulſus facere videretur, quod erat ſponte facturus. Quibus annuens, novo more ſacerdotes maximos per ſingulas civitates ſingulos ex primoribus fecit, qui & ſacrificia per omnes Deos ſuos quotidie facerent, & veterum ſacerdotum miniſterio ſubnixi, darent operam, Chriſtiani neque fabricarent, neque publice aut privatim colerent: ſed comprehenſos ſuo jure ad ſacrificia cogerent, vel judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, niſi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu ſingulos quaſi Pontifices ſuperponeret; & eos utroſque candidis chlamydibus ornatos juſſit incedere. Facere autem parabat, quæ jamdudum in Orientis partibus fecerat. Nam cum clementiam ſpecie tenus profiteretur, occidi ſervos Dei vetuit, debilitari juſſit. Itaque confeſſoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ deſecabantur.

## XXXVII.

Hæc ille moliens, Conſtantini litteris deterretur. Diſſimulavit ergo. Et tamen ſi quis inciderat, mari occulte mergebatur. Conſuetudinem quoque ſuam non intermiſit, ut in palatio per ſingulos dies ſacrificaretur. Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia, quibus veſcebatur, non a coquis, ſed a ſacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorſus menſæ apponeretur, niſi aut delibatum, aut ſacrificatum,

aut perfuſum mero; ut quisquis ad cœnam vocatus eſſet, inquinatus inde atque impurus exiret. In cæteris quoque magiſtri ſui ſimilis. Nam ſi quid reliqui, vel Diocles, vel Maximianus reliquerunt, hic abraſit, ſine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obſignabantur, debita in futuros annos exigebantur.. Hinc fames, agris ferentibus; hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad ſacrificia quotidiana, quibus eos adeo corruperat, ut aſpernarentur annonam, & effundebant paſſim ſine delectu, ſine modo; quum ſatellites univerſos, quorum numerus ingens erat, precioſis veſtibus & aureis nummis expungeret, gregariis & tyronibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quod viventium bona vel auferebat, vel dono ſuis dabat, [prout] quisque petierat aliena, neſcio an [non] agendas illi fuiſſe gratias putem, quod more clementium latronum incruenta ſpolia detrahebat.

## XXXVIII.

Illud vero capitale, & ſupra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, quid dicam neſcio, niſi cœca & effrænata, & tamen his verbis exprimi pro indignatione ſua non poteſt. Vincit officium linguæ ſceleris magnitudo. Eunuchi, lenones ſcrutabantur omnia. Ubicumque liberalior facies erat, ſecedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus fœminis veſtes, itemque virginibus, & per ſingulos artus inſpiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili eſſet indigna. Si qua detrectaverat, in aqua necabatur; tanquam majeſtatis crimen eſſet ſub illo adultero pudicitia. Aliqui, conſtupratis uxoribus, quas ob caſtitatem ac fidem cariſſimas habebant, quum dolorem ferre non poſſent, ſe ipſos etiam necaverunt.

Sub

Sub hoc monſtro, pudicitiæ integritas nulla, niſi ubi barbaram libidinem deformitas inſignis arcebat. Poſtremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem ſine permiſſu ejus duceret, ut ipſe in omnibus nuptiis prægustator eſſet. Ingenuas virgines imminutas ſervis ſuis donabat uxores. Sed & Comites ejus ſub tali Principe imitabantur [hoc exemplum, & civium] ſuorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium filias, ut cuique libuerat, rapiebat. Primariæ, quæ rapi non poterant, in beneficiis petebantur; nec recuſari licebat, ſubſcribente Imperatore, quin aut pereundum eſſet, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam fere nullus ſtipator in latere ei, niſi ex gente horum, qui a Gothis tempore vicennalium terris ſuis pulſi, Maximiano ſe tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram ſervitutem fugientes, in Romanos dominarentur. His ſatellitibus & protectoribus cinctus, Orientem ludibrio habuit.

## XXXIX.

Denique quum libidinibus ſuis hanc legem dediſſet, ut fas putaret quidquid concupiſſet, ne ab Auguſta quidem, quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. Venerat poſt obitum Maximiani ad eum Valeria, quum ſe putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardeſcit. Adhuc in atris veſtibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmiſſis in matrimonio poſtulabat, ejecturus uxorem, ſi impetraſſet. Reſpondit illa libere, quæ ſola poterat: primo non poſſe de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti ſui, patris ejus; deinde illum impie facere, quod ſibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & ſibi; poſtremo, nefas eſſe illius nominis ac

loci

loci fœminam ſine more, ſine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid eſſet auſa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proſcribit, bona ejus rapit, aufert comites, ſpadones in tormentis necat, ipſam cum matre in exilium relegat; nec in locum certum: ſed huc atque illuc præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus afficto adulterio damnat.

## XL.

Erat clariſſima fœmina, cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tanquam matrem alteram diligebat, cujus conſilio negatam ſibi ſuſpicatur. Dat negotium Præſidi Eratineo, ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliæ duæ adjunguntur, æque nobiles, quarum altera Veſtalem famulam virginem Romæ reliquerat, fugitivæ tunc Valeriæ familiaris. Altera virum habuit Senatorem, non nimis Auguſtæ proxima. Sed utraque ob eximiam pulchritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. Rapiuntur ſubito mulieres, non ad judicium, ſed ad latrocinium. Nec enim quiſquam accuſator extabat. Invenitur quidam Judæus ob alia facinora reus, qui ſpe impunitatis inductus, adverſus inſontes mentiatur. Judex æquus & diligens extra civitatem cum præſidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. Inrogantur tormenta Judæo, dum quæ juſſus [erat diceret; hæ ne] loquerentur, pugnis a tortoribus coercentur: innocentes duci jubentur. Fletus & comploratio, non illius tantum mariti, qui aderat bene meritæ uxori, ſed omnium, quos res indigna & inaudita contraxerat. Ac ne impetu populi de carnificum manibus raperentur, promoti militari modo inſtructi velites & ſagittarii proſequuntur. Ita mediæ inter cuneos armatorum ad ſupplicium deductæ. Jacuiſſentque inſepultæ, domeſticis in fugam

verſis,

verſis, niſi eas furtiva amicorum miſericordia ſepeliſſet. Nec adultero impunitas promiſſa perſolvitur: ſed patibulo adfixus, aperuit omne myſterium, & ſub extremo ſpiritu inquit omnibus, qui videbant, [ac] innocentes occiſas eſſe teſtatur.

## XLI.

Auguſta vero in deſertas quasdam ſolitudines Syriæ relegata, patrem ſuum Diocletianum per occultos gnarum calamitatis ſuæ fecit. Mittit ille legatos, & rogat ut ad ſe filiam remittat. Nihil proficit. Iterum ac ſæpius obſecrat. Non remittitur. Poſtremo cognatum ſuum quemdam militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum ſuorum admonitum deprecetur. Is quoque, imperfecta legatione, irritas preces renuntiat.

## XLII.

Eodemque tempore ſenis Maximiani ſtatuæ Conſtantini juſſu revellebantur, & imagines cum quo pictus eſſet, detrahebantur. Et quia ſenes ambo ſimul plerumque picti erant, & imagines ſimul deponebantur amborum. Itaque quum videret vivus, quod nulli unquam Imperatorum acciderat, duplici ægritudine adfectus, moriendum ſibi eſſe decrevit. Jactabat ſe huc atque illuc, æſtuante anima per dolorem, nec ſomnum, nec cibum capiens. Suſpiria & gemitus, crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum feliciſſimus Imperator, ad humilem vitam dejectus adeo, & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, poſtremo fame atque angore confectus eſt.

## XLIII.

Unus jam ſupererat de adverſariis Dei, cujus nunc exitum ruinamque ſubnectam. Cum haberet æmulatio-

lationem adverſus Licinium, quia prælatus ei a Maximiano fuerat, licet nuper cum eo amicitiam confirmaſſet, tamen ut audivit Conſtantini ſororem Licinio eſſe deſponſam, exiſtimavit affinitatem illam duorum Imperatorum contra ſe copulari. Et ipſe legatos ad Urbem miſit occulte, ſocietatem Maxentii atque amicitiam poſtulatum. Scribit etiam familiariter. Recipiuntur legati benigne, fit amicitia, utriusque imagines ſimul locantur. Maxentius tanquam divinum auxilium libenter amplectitur. Jam enim bellum Conſtantino indixerat, quaſi necem patris ſui vindicaturus. Unde ſuſpicio inciderat, ſenem illum tam exitiabilem finxiſſe diſcordiam cum filio, ut ad alios ſuccidendos viam ſibi faceret, quibus omnibus ſublatis, ſibi ac filio totius orbis imperium vindicaret. Sed id falſum fuit. Nam id propoſiti habebat, ut & filio, & cæteris extinctis, ſe ac Diocletianum reſtitueret in regnum.

## XLIV.

Jam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis ſe Maxentius Romæ contineret, quod reſponſum acceperat, periturum eſſe, ſi extra portas urbis exiſſet; tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quod & patris ſui exercitum receperat a Severo, & ſuum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum, & Maxentiani milites prævalebant; donec poſtea confirmato animo Conſtantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad Urbem propius admovit, & e regione Pontis Mulii conſedit. Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat, qui eſt ad ſextum Kalendas Novembris; & quinquennalia terminabantur. Commonitus eſt in quiete Conſtantinus, ut cœleſte ſignum Dei notaret in ſcutis, atque ita prælium committeret. Fecit ut juſſus eſt, & transverſa

X lit-

X littera, ſummo capite circumflexo, Chriſtum in ſcutis notat. Quo ſigno armatus exercitus capit ferrum. Procedit hoſtis obviam ſine Imperatore, pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit. Summa vi utrinque pugnatur. Neque his fuga nota, neque illis. Fit in urbe ſeditio, & dux increpitatur, velut deſertor ſalutis publicæ. Tumque repente populus, Circenſes enim natali ſuo edebat, voce ſubclamat, Conſtantinum vinci non poſſe.

Qua voce conſternatus proripit ſe, ac vocatis quibusdam ſenatoribus, libros Sibyllinos inſpici jubet, in quibus repertum eſt, illo die hoſtem Romanorum eſſe periturum. Quo reſponſo in ſpem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus ſcinditur. Eo viſo, pugna crudeſcit, & manus Dei ſupererat aciei. Maxentianus proterretur, ipſe in fugam verſus properat ad pontem, qui interruptus erat, ac multitudine fugientium preſſus, in Tiberim deturbatur. Confecto tandem acerbiſſimo bello, cum magna Senatus populique Romani lætitia ſuſceptus Imperator Conſtantinus, Maximini perfidiam cognoscit, litteras deprehendit, ſtatuas & imagines invenit. Senatus Conſtantino, virtutis gratia, primi nominis titulum decrevit, quem ſibi Maximinus vindicabat: ad quem victoria liberatæ Urbis quum fuiſſet adlata, non aliter accepit, quam ſi ipſe victus eſſet. Cognito deinde Senatus decreto, ſic exarſit dolore, ut inimicitias aperte profiteretur, convicia jocis mixta adverſus Imperatorem maximum diceret.

## XLV.

Conſtantinus, rebus in Urbe compoſitis, hyeme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit, ut acciperet uxorem. Maximinus ubi eos intellexit nuptiarum ſolennibus occupatos, exercitum movit e Syria, hyeme quam cum maxime ſævien-

viente, & manſionibus geminatis, in Bithyniam concurrit, debilitato agmine. Nam maximis imbribus, & nivibus, & luto, & frigore, & labore jumenta omnis generis amiſſa ſunt, quorum miſerabilis per viam ſtrages ſpeciem jam futuri belli, & ſimilem cladem militibus nuntiabat. Nec ipſe intra fines ſuos moratus eſt: ſed transjecto protinus freto, ad Byzantii portas acceſſit armatus. Erant ibi milites præſidiarii, ad hujusmodi caſus a Licinio conlocati. Hos primum muneribus & promiſſis illicere tentavit: poſtea vi & oppugnatione terrere; nec tamen quidquam vis aut promiſſa valuerunt.

Jam conſumpti erant dies undecim, per quos fuit ſpatium nuntios litteras mittendi ad Imperatorem, cum milites non fide, ſed paucitate diffiſi, ſeipſos dederunt. Hinc promovit Heracleam; & illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amiſit. Et jam Licinius, feſtinato itinere, cum paucis Adrianopolim venerat, cum ille, accepta in deditione Perintho, aliquanto moratus, proceſſit ad manſionem millia decem & octo. Nec enim poterat ulterius, Licinio jam ſecundam manſionem tenente diſtantem millibus totidem; qui, collectis ex proximo quantis potuit militibus, pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quam propoſito dimicandi, aut ſpe victoriæ. Quippe cum ille ſeptuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipſe vix triginta millium numerum collegiſſet. Sparſi enim milites per diverſas regiones fuerant, & adunari omnes anguſtiæ temporis non ſinebant.

## XLVI.

Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem prælium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut ſi victoriam cepiſſet, Chriſtianorum nomen extingueret, funditusque deleret.

ret. Tunc proxima nocte Licinio quieſcenti adſiſtit Angelus Dei, monens ut ocyus ſurgeret, atque oraret Deum ſummum cum omni exercitu ſuo; illius fore victoriam, ſi feciſſet. Poſt has voces, cum ſurgere ſibi viſus eſſet, & cum ipſo qui monebat, adſtaret, tunc docebat eum quomodo & quibus verbis eſſet orandum. Diſcuſſo deinde ſomno, notarium juſſit acciri, & ſicut audierat, hæc verba dictavit: *Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem juſtitiam tibi commendamus, ſalutem noſtram tibi commendamus, imperium noſtrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices exiſtimus. Summe ſancte Deus, preces noſtras exaudi. Brachia noſtra ad te tendimus. Exaudi, ſancte ſumme Deus.* Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per Præpoſitos Tribunosque mittuntur, ut ſuos quisque milites doceat. Crevit animus univerſis, victoriam ſibi credentibus de cœlo nuntiatam. Statuit Imperator prælium diei Kalendarum Maiarum, quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant; ut ſuo potiſſimum natali vinceretur, ſicut ille victus eſt Romæ. Maximinus voluit præire maturius: pridie mane aciem compoſuit, ut natalem ſuum poſtridie victor celebraret. Nuntiatur in caſtra moviſſe Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus intererat ſterilis ac nudus, quem vocant Serenum. Et jam utraque acies in conſpectu. Liciniani ſcuta deponunt, galeas reſolvunt, ad cœlum manus tendunt, præeuntibus Præpoſitis, & poſt imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Illi, oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, ſcuta tollunt. Procedunt Imperatores ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac deſertum iri a militibus exiſtimabat, quod ille eſſet in largiendo tenax, ipſe autem profuſus; eoque propoſito mo-

verat bellum, ut exercitu Licinii, ſine certamine accepto, ad Conſtantinum duplicatis viribus ſtatim pergeret.

XLVII.

Ergo propius acceditur, tubæ canunt, ſigna procedunt. Liciniani, impetu facto, adverſarios invadunt. Illi vero perterriti, nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt. Maximinus aciem circumire, ac milites Licinianos nunc precibus ſollicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad ſuos refugit. Cædebatur acies ejus impune, & tantus numerus legionum, tanta vis militum a paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor; quaſi ad devotam mortem, non ad prælium veniſſent, ſic eos Deus ſummus jugulandos ſubjecit inimicis. Jam ſtrata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri, quam putabat. Projecit purpuram, & ſumpta veſte ſervili, fugit, ac fretum trajecit: at in exercitu pars dimidia proſtrata eſt, pars autem vel dedita, vel in fugam verſa eſt. Ademerat enim pudorem deſerendi deſertor Imperator. At ille Kalendis Maiis, id eſt, una nocte atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cum locus prælii abeſſet millia centum ſexaginta; raptisque filiis, & uxore, & paucis ex palatio comitibus, petivit Orientem. Sed in Cappadocia, collectis ex fuga & ab Oriente militibus, ſubſtitit. Ita veſtem reſumpſit.

XLVIII.

Licinius vero, accepta exercitus parte ac diſtributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis poſt pugnam diebus, & Nicomediam ingreſſus, gratiam Deo, cujus auxilio vicerat, retulit; ac die Iduum Juniarum, Conſtantino atque ipſo ter Conſulibus, de reſti-

reſtituenda Eccleſia hujusmodi litteras ad Præſidem datas proponi juſſit.

## LITTERÆ LICINII.

*Cum feliciter, tam ego Conſtantinus Auguſtus, quam etiam ego Licinius Auguſtus, apud Mediolanum conveniſſemus, atque univerſa, quæ ad commoda & ſecuritatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, hæc inter cætera, quæ videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda eſſe credidimus, quibus divinitatis reverentia continebatur, ut daremus & Chriſtianis, & omnibus liberam poteſtatem ſequendi religionem, quam quisque voluiſſet, quo quidem divinitas in ſede cæleſti nobis atque omnibus, qui ſub poteſtate noſtra ſunt conſtituti, placata ac propitia poſſit exiſtere. Itaque hoc conſilio ſalubri ac rectiſſima ratione ineundum eſſe credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel obſervationi Chriſtianorum, vel ei religioni mentem ſuam dederat, quam ipſe ſibi aptiſſimam eſſe ſentiret; ut poſſit nobis ſumma divinitas, cujus religioni liberis mentibus obſequimur, in omnibus ſolitum favorem ſuum benevolentiamque præſtare. Quare ſcire Dicationem tuam convenit, placuiſſe nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quæ prius ſcriptis ad officium tuum datis ſuper Chriſtianorum nomine videbantur, nunc vere ac ſimpliciter unusquisque eorum, qui eamdem obſervandæ religionis Chriſtianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac moleſtiam ſui idipſum obſervare contendant. Quæ ſollicitudini tuæ pleniſſime ſignificanda eſſe credidimus, quo ſcires, nos liberam atque abſolutam colendæ religionis ſuæ facultatem hisdem Chriſtianis dediſſe. Quod cum hisdem a nobis indultum eſſe pervideas, intelligit Dicatio tua, etiam aliis religionis ſuæ vel obſervantiæ poteſtatem ſimiliter apertam, & liberam pro quiete temporis noſtri eſſe conceſſam; ut in colendo quod quisque delegerit, habeat liberam facultatem, quia* (nolumus detrahi) *honori, neque cuiquam religioni*

 *ali-*

*aliquid a nobis. Atque hoc inſuper in perſona Chriſtianorum ſtatuendum cenſuimus, quod ſi eadem loca, ad quæ antea venire conſueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antehac forma fuerat comprehenſa, priore tempore aliqui vel a fiſco noſtro, vel ab alio quocumque videntur eſſe mercati, eadem Chriſtianis ſine pecunia, & ſine ulla pretii petitione, poſtpoſita omni fruſtratione atque ambiguitate, reſtituantur. Qui etiam dono fuerunt conſecuti, eadem ſimiliter hisdem Chriſtianis quantocyus reddant: etiam vel hi qui emerunt, vel qui dono fuerunt conſecuti, ſi petiverint de noſtra benevolentia aliquid, vicarium poſtulent, quo & ipſis per noſtram clementiam conſulatur. Quæ omnia corpori Chriſtianorum protinus per interceſſionem tuam, ac ſine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem Chriſtiani non ea loca tantum, ad quæ convenire conſueverunt, ſed alia etiam habuiſſe noſcuntur, ad jus corporis eorum, id eſt, Eccleſiarum, non hominum ſingulorum, pertinentia, ea omnia lege, qua ſuperius comprehendimus, citra ullam prorſus ambiguitatem vel controverſiam hisdem Chriſtianis, id eſt, corpori & conventiculis eorum reddi jubebis, ſupradicta ſcilicet ratione ſervata, ut ii qui eadem ſine pretio, ſicut diximus, reſtituerint, indemnitatem de noſtra benevolentia ſperent. In quibus omnibus ſupradicto corpori Chriſtianorum interceſſionem tuam efficaciſſimam exhibere debebis, ut præceptum noſtrum quantocyus compleatur, quo etiam in hoc per clementiam noſtram quieti publicæ conſulatur. Hactenus fiet, ut ſicut ſuperius comprehenſum eſt, divinus juxta nos favor, quem in tantis ſumus rebus experti, per omne tempus proſpere ſucceſſibus noſtris cum beatitudine noſtra publica perſeveret. Ut autem hujus ſanctionis benevolentiæ noſtræ forma ad omnium poſſit pervenire notitiam, perlata programmate tuo hæc ſcripta & ubique proponere, & ad omnium ſcientiam te perferre conveniet, ut hujus benevolentiæ noſtræ ſanctio latere non poſſit.*

His litteris propoſitis, etiam verbo hortatus eſt, ut conventicula in ſtatum priſtinum redderentur. Sic ab everſa Eccleſia usque ad reſtitutam fuerunt anni decem, menſes plus minus quatuor.

## XLIX.

Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, profugus conceſſit, & rurſus Tauri montis anguſtias petiit: munimentis ibidem ac turribus fabricatis, iter obſtruere conatus eſt; & inde dextrorſum perrumpentibus omnia victoribus, Tarſum poſtremo confugit. Ibi cum jam terra marique peteretur, nec ullum ſperaret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quaſi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingeſſit. Sed prius cibo ſe inferſit, ac vino ingurgitavit, ut ſolent hi, qui hoc ultimo ſe facere arbitrantur. Et ſic hauſit venenum. Cujus vis, referto ſtomacho repercuſſa, valere non potuit in præſens, ſed in languorem malum verſa peſtilentiæ ſimilem, ut diutius protracto ſpiritu cruciamenta ſentiret. Jam ſævire in eum cœperat virus; cujus vi cum præcordia ejus furerent, inſuſtentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus eſt, adeo ut per dies quatuor inſania percitus, hauſtam manibus terram velut eſuriens devoraret. Deinde poſt multos gravesque cruciatus, cum caput ſuum parietibus infligeret, exilierunt oculi ejus de caveis. Tum demum, amiſſo viſu, Deum videre cœpit candidatis miniſtris de ſe judicantem. Exclamabat ergo ſicut ii, qui torqueri ſolent; & non ſe, ſed alios feciſſe dicebat. Deinde, quaſi tormentis adactus, fatebatur, Chriſtum ſubinde deprecans, & plorans ut ſuimet miſereretur. Sic inter gemitus, quos tanquam cremaretur, edebat, nocentem ſpiritum deteſtabili genere mortis efflavit.

## L.

Hoc modo Deus univerſos perſecutores nominis ſui debellavit, ut eorum nec ſtirps, nec radix ulla remaneret. Nam Licinius ſumma rerum potitus, in primis Valerium, quem Maximinus iratus nec poſt fugam quidem, cum ſibi videret eſſe pereundum, fuerat auſus occidere; item Candidianum, quem Valeria ex concubina genitum ob ſterilitatem adoptaverat, necari juſſit. Mulier tamen, ut eum vixiſſe cognovit, mutato habitu, comitatui ejus ſe miſcuit, ut fortunam Candidiani ſpecularetur; qui quia Nicomediæ ſe obtulerat, & in honore haberi videbatur, nihil tale metuens, occiſus eſt. Et illa, exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam ætate robuſtum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie ſequutus, tanquam poſt obitum ejus de ſumenda purpura cogitaſſet, capitali ſententiæ ſubjectum interemit. Qui omnes Licinium jam pridem, quaſi malum metuentes, cum Maximino eſſe maluerant, præter Valeriam, quæ volens Licinio in omnes Maximiani hæreditates jure ſuo cedere, idem Maximino negaverat. Ipſius quoque Maximini filium, tum maximum, agentem in annis octo, & filiam ſeptennem, quæ deſponſa fuerat Candidiano, extinxit. Sed prius mater eorum in Orientem præcipitata eſt. Ibi ſæpe illa caſtas fœminas mergi juſſerat. Sic omnes impii vero & juſto judicio Dei eadem, quæ fecerant, receperunt.

## LI.

Valeria quoque per varias provincias quindecim menſibus plebeio cultu pervagata, poſtremo apud Theſſalonicam cognita, comprehenſa cum matre pœnas dedit. Ductæ igitur mulieres cum ingenti ſpectaculo & miſeratione tanti caſus ad ſupplicium; & amputa-

putatis capitibus, corpora earum in mare abjecta ſunt. Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit.

## LII.

Quæ omnia ſecundum fidem (ſcienti enim loquor) ita ut geſta ſunt, mandanda litteris credidi; ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut ſi quis hiſtoriam ſcribere voluiſſet, corrumperet veritatem, vel peccata illorum adverſus Deum, vel judicium Dei adverſus illos reticendo. Cujus æternæ pietati gratias agere debemus, qui tandem reſpexit in terram, quod gregem ſuum partim vaſtatum a lupis rapacibus, partim vero diſperſum, reficere ac recolligere dignatus eſt, & beſtias malas extirpare, quæ divini gregis paſcua protriverant, cubilia diſſipaverant. Ubi ſunt modo magnifica illa & clara per gentes Joviorum & Herculiorum cognomina, quæ primum a Dioclete ac Maximiano inſolenter aſſumpta, ac poſtmodum ad ſucceſſores eorum translata, viluerunt? Nempe delevit ea Dominus, & eraſit de terra.

Celebremus igitur triumphum Dei cum exultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, diurnis nocturniſque precibus celebremus; ut pacem, poſt annos decem plebi ſuæ datam, confirmet in ſeculum. Tu præcipue, Donate cariſſime, qui a Deo mereris audiri, Dominum deprecare, ut miſericordiam ſuam ſervet æternam famulis ſuis propitius ac mitis; ut omnes inſidias atque impetus diaboli a populo ſuo arceat; ut floreſcentes Eccleſias perpetua quiete cuſtodiat.

# CÆLII FIRMIANI SYMPOSIUM, OLIM INSCRIPTUM SYMPOSII POETÆ ÆNIGMATA.

Hoc quoque *Sympoſium* luſi de carmine inepto.
Sic tu, Sexte, doces: ſic te deliro magiſtro,
Annua Saturni dum tempora feſta redirent
Perpetuo ſemper nobis ſolennia ludo,
Poſt epulas lætas, poſt pocula dulcia menſæ,
Deliras inter vetulas, puerosque loquaces,
Cum ſtreperet late madidæ facundia linguæ;
Tum verboſa cohors ſtudio ſermonis inepti
Magno neſcio quas paſſim de carmine nugas
Eſt meditata: diu ſic frivola multa locuta eſt.
Nec mediocre fuit magni certaminis inſtar,
Ponere de verſu, vel ſolvere quæque viciſſim.
Aſt ego ne ſolus fœde tacuiſſe viderer,
Quo nihil attulerim mecum, quod dicere poſſem,
Hos verſus feci ſubito de carmine. Voces
Inſanas inter ſanum non eſſe neceſſe eſt.
Da veniam, lector, quod non ſapit ebria Muſa.

## ÆNIGMA I.

### GRAPHIUM, ſive STYLUS.

De ſummo planus, ſed non ego planus ab imo,
Verſor utrinque manu, diverſa & munera fungor:
Altera pars revocat quidquid pars altera fecit.

II.

## II.

## ARUNDO.

Dulcis amica Dei, ripæ vicina profundæ,
Suave canens Muſis, nigro perfuſa colore,
Nuntia ſum linguæ, digitis ſtipata miniſtris.

## III.

## ANNULUS CUM GEMMA.

Corporis extremi non magnum corpus adhæſi;
Ingenitum dicas, ita pondere nemo gravatur:
Una tamen facies plures habitura figuras.

## IV.

## CLAVIS.

Virtutes magnas de viribus affero parvis.
Pando domos clauſas; iterum præcludo patentes:
Servo domum Domino: ſed rurſus ſervor ab ipſo.

## V.

## CATENA.

Nexa ligor ferro multos habitura ligatos;
Vincior ipſa prius: ſed vincio vincta viciſſim.
Exſolvi multos, nec ſum tamen ipſa ſoluta.

## VI.

## TEGULA.

Terra mihi corpus, vires mihi præſtitit ignis,
Eſtque domus tecto ſedes mihi ſemper in alto;
Et me perfundit, qui me cito deſerit, humor.

## VII.

## FUMUS.

Funduntur lacrymæ: ſed non eſt cauſa doloris.
Eſt iter ad cœlum: ſed me gravis impedit aer;
Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.

VIII.

NEBULA.

Nox ego ſum facie: ſed non ſum nigra colore;
Inque diem mediam tenebras tamen affero mecum;
Nec mihi dant ſtellæ lucem, nec Cynthia lumen.

IX.

PLUVIA.

Ex alto venio, longa delapſa ruina.
De cœlo cecidi medias transmiſſa per auras;
Et ſinus, effudit qui me prius, ipſe recepit.

X.

GLACIES.

Unde fui quondam, quod me cito credo futuram:
Nunc rigidi cœli duris connexa catenis,
Nec calcata pati poſſum, nec nuda teneri.

XI.

FLUMEN ET PISCIS.

Eſt domus in terris, clara quæ voce reſultat:
Ipſa domus reſonat, tacitus ſed non ſonat hoſpes;
Ambo tamen currunt, hoſpes ſimul & domus una.

XII.

NIX.

Pulvis aquæ tenuis modico cum pondere lapſus,
Sole madens, æſtate fluens, in frigore ſiccus,
Flumina facturus totas prius occupo terras.

XIII.

NAVIS.

Longa feror velox formoſæ filia ſiluæ
Innumera pariter comitum ſtipante caterva:
Curro vias multas feſtigia nulla relinquens.

## XIV.
## PULLUS IN OVO.

Mira tibi referam noſtræ primordia vitæ.
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo:
Jam poſito partu natum me nemo videbat.

## XV.
## VIPERA.

Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem.
Occidi matrem: ſed me manet exitus idem.
Id mea mors faciet, quod jam mea fecit origo.

## XVI.
## TINEA.

Litera me pavit, nec quid ſit litera novi.
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde.
Exedi Muſas, nec adhuc tamen ipſa profeci.

## XVII.
## ARANEA.

Pallas me docuit texendi noſſe laborem.
Nec pepli radios poſcunt, nec licia telæ.
Nulla mihi manus eſt: pedibus tamen omnia fiunt.

## XVIII.
## COCHLEA.

Porto domum mecum, ſemper migrare parata,
Mutatoque ſolo non ſum miſerabilis exul,
Sed mihi conchylium de cœlo naſcitur ipſo.

## XIX.
## RANA.

Rauca ſonans ego ſum media vocalis in unda:
Cumque canam ſemper, nullus mea carmina laudat.
Sic vox laude caret, quæ ſe laudaverit ipſa.

XX.

XX.

TESTUDO.

Tarda gradu lento, ſpatioſo prædita dorſo,
Viva nihil dixi: ſed ſævo perdita fato
Docta fui ſtudio, quæ ſic modo mortua canto.

XXI.

TALPA.

Cœca mihi facies, atris obſcura tenebris.
Nox eſt ipſa dies, nec ſol mihi cernitur ullus.
Malo tegi terra: ſic me quoque nemo videbit.

XXII.

FORMICA.

Provida ſum vitæ, duro non pigra labori.
Ipſa ferens humeris ſecuræ præmia brumæ:
Nec gero magna ſimul, ſed congero multa viciſſim.

XXIII.

MUSCA.

Improba ſum, fateor, quid enim gula turpe veretur?
Frigora vitabam, quæ nunc æſtate revertor:
Sed cito ſubmoveor falſo conterrita vento.

XXIV.

CURCULIO.

Non bonis agricolis, non frugibus utilis hoſpes:
Non magnus forma, non recto nomine dictus:
Non gratus Cereri, non parvam inſumo ſaginam.

XXV.

MUS.

Parva mihi domus eſt, ſed janua ſemper aperta.
Exiguo ſumtu furtiva vivo ſagina.
Quod mihi nomen ineſt, Romæ quoque conſul habebat.

XXVI.

GRUS.

Litera ſum cœli penna perſcripta volanti,
Bella cruenta gerens volucri diſcrimine Martis,
Nec vereor pugnas, dum non ſit longior hoſtis.

XXVII.

CORNICULA.

Vivo novem vitas, ſi non me Græcia fallit:
Atraque ſum ſemper nullo compulſa dolore:
Et non iraſcens ultro convicia dico.

XXVIII.

VESPERTILIO.

Nox mihi dat nomen primo de tempore noctis.
Pluma mihi non eſt, cum ſit mihi penna volantis
Deſideo in tenebris, nec me committo diebus.

XXIX.

ERICIUS.

Plena domus ſpinis, parvi ſed corporis hoſpes,
Incolumi torſo telis confixus acutis,
Suſtinet armatas ſegetes habitator inermis.

XXX.

PEDICULI.

Eſt nova notarum cunctis captura ferarum,
Ut, ſi quid capias, id tu tibi ferre recuſes,
Et, quod non capias, tecum tamen ipſe reportes.

XXXI.

PHOENIX.

Vita mihi mors eſt: morior, ſi cœpero naſci:
Sed prius eſt fatum, lætæ quam lucis origo.
Sic ſolus Manes ipſos mihi dico parentes.

XXXII.

XXXII.

TAURUS.

Mœchus eram Regis, ſed lignea membra ſequebar:
Et Cilicum mons ſum, ſed non hoc nomine ſolo:
Et vehor in cœlis: & in ipſis ambulo terris.

XXXIII.

LUPUS.

Dentibus inſanis, ego ſum, qui vinco bidentes,
Sanguineas prædas quærens victusque cruentos
Multa cum rabie: vocem quoque tollere poſſum.

XXXIV.

VULPES.

Exiguum corpus, ſed cor mihi corpore majus.
Sum verſuta dolis, arguto callida ſenſu.
Et fera ſum ſapiens, ſapiens fera ſiqua vocatur.

XXXV.

CAPRA.

Alma Jovis nutrix, longo veſtita capillo,
Culmina difficili peragrans ſuper ardua greſſu.
Cuſtodi pecoris tremula reſpondeo lingua.

XXXVI.

PORCUS.

Setigeræ matris fœcunda natus ab alvo,
Deſuper ex alto virides exſpecto ſaginas,
Nomine Numen habens, ſi litera prima periret.

XXXVII.

MULA.

Diſſimilis patri, matri diverſa figura:
Confuſi generis, generi non apta propago.
Ex aliis naſcor, nec quisquam naſcitur ex me.

XXXVIII.

XXXVIII.

TIGRIS.

A fluvio dicor, fluvius vel dicitur ex me:
Junctaque ſum vento, vento velocior ipſo.
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

XXXIX.

CENTAURUS.

Quattuor inſignis pedibus, manibusque duabus,
Diſſimilis mihi ſum, quia ſum non unus & unus:
Et vehor & gradior, quia me duo corpora portant.

XL.

PAPAVER.

Grande mihi caput eſt, intus ſunt membra minuta:
Pes unus ſolus, ſed pes longiſſimus unus:
Et me ſomnus amat, proprio nec dormio ſomno.

XLI.

MALVA.

Anſeris eſſe pedes ſimiles mihi, nolo negare:
Nec duo ſunt tantum, ſed plures ordine cernis:
Et tamen hos ipſos omnes ego porto ſupinos.

XLII.

BETA.

Tota vocor Græce, ſed non ſum tota Latine:
Ante tamen mediam cauponis ſcripta tabernam.
In terris naſcor, lympha lavor, ungor olivo.

XLIII.

CUCURBITA.

Pendeo dum naſcor: rurſus, dum pendeo, creſco.
Pendens commoveor ventis, & nutrior undis.
Pendula ſi non ſim, non ſum jam jamque futura.

XLIV.

XLIV.

CEPA.

Mordeo mordentes, ultro non mordeo quemquam.
Sed ſunt mordentem multi mordere parati:
Nemo timet morſum, dentes quia non habeo ullos.

XLV.

ROSA.

Purpura ſum terræ pulchro perfuſa colore,
Septaque, ne violer, telis defendor acutis.
O felix, longo ſi poſſem vivere fato!

XLVI.

VIOLA.

Magna quidem non ſum, ſed ineſt mihi maxima virtus.
Spiritus eſt magnus, quamvis in corpore parvo.
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

XLVII.

TUS.

Dulcis odor nemoris flamma fumoque fatigor;
Et placet hoc Superis, medios quod mittor in ignes,
Cum mihi peccandi meritum natura negarit.

XLVIII.

MYRRHA.

De lacrymis & per lacrymas mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi: ſed nunc ex arbore naſcor,
Lætus honor frondis, triſtis ſed imago doloris.

XLIX.

EBUR.

Dens ego ſum magnus, populis cognatus Eois.
Nunc ego per partes in corpora multa receſſi;
Nec remanent vires: ſed formæ gratia manſit.

L.

L.

FOENUM.

Herba fui quondam viridi de gramine terræ:
Sed chalybis duro mollis præciſa metallo,
Mole premor propria, tecto concluſa ſub alto.

LI.

MOLA.

Ambo ſumus lapides; una ſumus ambo jacentes:
Quam piger eſt unus, tantum non eſt piger alter.
Hic manet immotus: non deſinit ille moveri.

LII.

FARINA.

Inter ſaxa fui, quæ me contrita premebant:
Vix tamen effugi totis colliſa medullis;
Et nunc forma mihi minor eſt, ſed copia major.

LIII.

VITIS.

Nolo thoro jungi, quamvis placet eſſe maritam.
Nolo virum thalamo: per me mea nata propago eſt.
Nolo ſepulchra pati: ſcio me ſubmergere terræ.

LIV.

HAMUS.

Exiguum corpus, flexu mucronis aduncum,
Fallaces eſcas medio circumfero fluctu.
Blandior, ut noceam: morti præmitto ſaginam.

LV.

ACUS.

Longa, ſed exilis, tenui producta metallo,
Mollia duco levi comitantia vincula ferro:
Et faciem læſis, & nexum reddo ſolutis.

LVI.

LINUM.

Major eram longe quondam, dum vita manebat:
Sed nunc ex animis lacerata, ligata, revulſa,
Dedita ſum terræ: tumulo ſed condita non ſum.

LVII.

CLAVUS CALIGARIS.

In capite ingredior, quia de pede pendeo ſolo:
Vertice tango ſolum; capitis veſtigia ſigno:
Sed multi comites caſum patiuntur eumdem.

LVIII.

CAPILLUS.

Findere me nulli poſſunt, præcidere multi.
Sed ſum verſicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger: minus ultima fata verebor.

LIX.

PILA.

Non ſum cincta comis, & non ſum comta capillis;
Intus enim crines mihi ſunt, quos non videt ullus.
Meque manus mittunt, manibusque remittor in auras.

LX.

SERRA.

Dentibus innumeris ſum toto corpore plena.
Frondicomam ſobolem morſu depaſcor acuto:
Mando tamen fruſtra, quia reſpuo præmia dentis.

LXI.

PONS.

Stat nemus in lymphis, ſtat in alto gurgite ſylva,
Et manet in mediis undis immobile robur.
Terra tamen mittit, quod terræ munera præſtat.

LXII.

SPONGIA.

Ipſa gravis non ſum, ſed aquæ mihi pondus inhæret:
Viſcera tota tument patulis diffuſa cavernis.
Intus lympha latet: ſed non ſe ſponte profundit.

LXIII.

TRIDENS.

Tres mihi ſunt dentes, unus quos continet ordo:
Unus præterea dens eſt & ſolus in imo;
Meque tenet Numen, ventus timet, æquor adorat.

LXIV.

SAGITTA.

Septa gravi ferro, levibus circumdata pennis,
Aera per medium volucri contendo meatu;
Miſſaque deſcendens nullo mittente revertor.

LXV.

FLAGELLUM.

De pecudis dorſo pecudes ego terreo cunctas,
Obſequio cogens moderati lege doloris.
Nec volo contemni: ſed contra nolo nocere.

LXVI.

LATERNA.

Cornibus apta cavis, tereti perlucida gyro,
Lumen habens intus divini ſideris inſtar,
Noctibus en mediis faciem prope reddo dierum.

LXVII.

SPECULAR.

Perſpicior penitus, nec luminis arceo viſus,
Transmittens oculos intra mea membra meantes.
Nec me tranſit hyems, ſed ſol tamen emicat in me.

LXVIII.

SPECULUM.

Nulla mihi certa eſt, nulla eſt peregrina figura.
Fulgor ineſt intus radianti luce coruſcans,
Qui nihil oſtendit, niſi ſi quid viderit ante.

LXIX.

CLEPSYDRA.

Lex bona dicendi, lex ſum quoque dura tacendi,
Do linguæ frenos avidæ ſine fine loquendi;
Ipſa fluens, dum verba fluunt, ut lingua quieſcat.

LXX.

PUTEUS.

Merſa procul terris in ceſpite lympha profundo
Nonniſi perfoſſis poſſum procedere terris,
Et trahor ad ſuperos alieno ducta labore.

LXXI.

TUBUS.

Truncum terra tegit, latitant in ceſpite lymphæ:
Alveus eſt modicus, qui ripas non habet ullas.
In ligno vehitur medio, quod ligno vehebat.

LXXII.

FOLLIS.

Non ego continuo morior, dum ſpiritus exit:
Nam redit aſſidue, quamvis mihi ſæpe recedit.
Et mihi nunc magna eſt animæ, nunc nulla facultas.

LXXIII.

LAPIS.

Deucalionis ego crudeli ſoſpes in unda,
Affinis terræ, ſed longe durior illa.
Littera decedat: volucris quoque nomen habebo.

LXXIV.

CALX.

Evaſi flammas, ignis tormenta profugi.
Ipſa medela meo pugnat contraria fato.
Ardeo de lymphis: mediis incendor in undis.

LXXV.

SILEX.

Semper ineſt intus, ſed raro cernitur ignis;
Intus enim latitat, ſed ſolos prodit ad ictus:
Nec lignis, ut vivat, eget, nec, ut occidat undis.

LXXVI.

ROTÆ.

Quatuor æquales currunt ex arte ſorores.
Sic, quaſi certantes, cum ſit labor omnibus unus,
Et prope ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt.

LXXVII.

SCALÆ.

Nos ſumus, ad cœlum quæ tendimus alta petentes,
Concordi fabrica, quas unus continet ordo,
Ut ſimul hærentes per nos ſcandatur ad auras.

LXXVIII.

SCOPA.

Mundi magna parens, laqueo connexa tenaci,
Juncta ſolo plano, manibus comprehenſa duabus,
Ducor ubique ſequens, & me quoque cuncta ſequuntut.

LXXIX.

TINTINNABULUM.

Ære rigens curvo patulum componor in orbem:
Mobilis eſt intus linguæ crepitantis imago.
Non reſonat poſitus, motus quoque ſæpe reſultat.

LXXX.

CONDITUM.

Tres olim fuimus, qui nomine jungimur uno.
Ex tribus eſt unus, tres & miſcentur in uno.
Quisque bonus per ſe: melior, qui continet omnes.

LXXXI.

ACETUM EX VINO.

Sublatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum:
Nec tamen invenio, quod in iſto vaſe reliqui.
Quod fuerat, non eſt: cœpit, quod non erat, eſſe.

LXXXII.

MALUM.

Nomen habens Græcum, contentio magna dearum,
Fraus juvenis pulchri, multarum cura ſororum,
Excidium Trojæ, cui bella cruenta paravi.

LXXXIII.

PERNA.

Nobile duco genus magni de gente Catonis.
Una mihi ſoror eſt, plures licet eſſe putentur.
De fumo facies, ſapientia de mare nata eſt.

LXXXIV.

MALLEUS.

Non ego te toto mihi vindico corpore vires,
Sed capitis pugna nulli certare recuſo.
Grande mihi caput eſt: totum quoque corpus in illo.

LXXXV.

PISTILLUS.

Contero cuncta ſimul virtutis robore magno.
Una mihi cervix, capitum ſed forma duorum.
Pro pedibus caput eſt: nam cætera corporis abſunt.

LXXXVI.

## LXXXVI.
## STRIGILIS.

Rubida, curva, capax, alienis humida guttis,
Luminibus falſis auri mentita colorem,
Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.

## LXXXVII.
## BALNEUM.

Per totas ædes innoxius introit ignis:
Eſt calor in medio magnus, cui nemo ferendo.
Non eſt nuda domus: ſed nudus convenit hoſpes.

## LXXXVIII.
## TESSERA.

Dedita ſum ſemper voto, non certa futuri:
Jactor in ancipites varia vertigine caſus,
Nunc ego mœſta malis, nunc rebus læta ſecundis.

## LXXXIX.
## PECUNIA.

Terra fui primo latebris abſcondita terræ:
Nunc aliud pretium flammæ nomenque dederunt.
Nec jam terra vocor, licet ex me terra paretur.

## XC.
## MULIER GEMINOS PARIENS.

Plus ego ſuſtinui, quam corpus debuit unum:
Tres animas habui, quas omnes intus habebam:
Diſceſſere duæ, ſed tertia pene ſecuta eſt.

## XCI.
## MILES PODAGRICUS.

Bellipotens olim ſævis metuendus in armis
Quinque pedes habui: quod quanquam nemo negavit,
Nunc mihi vix duo ſunt: inopem me copia fecit.

## XCII.
## LUSCUS ALLIUM VENDENS.

Cernere jam fas eſt, quod vix tibi credere fas eſt.
Unus ineſt oculus: capitum ſed millia multa.
Qui, quod habet, vendit, quod non habet, unde
parabit?

## XCIII.
## FUNAMBULUS.

Inter luciferum cœlum terrasque jacentes
Aera per medium docta meat arte viator:
Semita ſed brevis eſt, pedibus nec ſufficit ipſis.

## XCIV.

Nunc mihi jam credas, fieri quod poſſe negatur.
Octo tenes manibus: ſed me monſtrante magiſtro,
Sublatis ſeptem, reliqui tibi ſex remanebunt.

## RESOLUTIO.

*Octo tenes globulos manu, vel etiam manibus, id eſt, ſingulis manibus octo. En tollo ſeptem, vel ſeptenos ex octo illis globulis. Nonne remanent ſex, unus nempe globulus, & connumerandi ei quinque digiti manus globum tenentis?*

## XCV.
## UMBRA.

Inſidias nullas vereor de fraude latenti.
Nam Deus attribuit talis mihi munera formæ,
Quod me nemo movet, niſi qui prius ipſe movetur.

## XCVI.
## ECHO.

Virgo modeſta nimis legem bene ſervo pudoris.
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria lingua.
Ultro nolo loqui: ſed do reſponſa loquenti.

## XCVII.
## SOMNUS.

Sponte mea veniens varias oſtendo figuras.
Fingo metus vanos nullo diſcrimine vero.
Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.

## XCVIII.
## MONUMENTUM.

Nomen habens hominis, poſt ultima fata remanſi.
Nomen inane manet: ſed dulcis vita profugit.
Vita tamen ſupereſt multis poſt tempora vitæ.

## XCIX.
## ANCORA.

Mucro mihi geminus ferro conjungitur unco.
Cum vento luctor; cum gurgite pugno profundo:
Scrutor aquas medias; ipſas quoque mordeo terras.

## C.
## OLLA.

Mater erat tellus, genitor fuit ipſe Prometheus:
Auriculæque regunt redimitæ ventre cavato.
Dum cecidi infelix, mater mea me diviſit.

---

# INCRETI AUCTORIS PHOENIX LACTANTIO TRIBUTUS.

Eſt locus in primo felix Oriente remotus,
Qua patet æterni maxima porta poli;
Nec tamen æſtivos, hyemisque proprinquus ad ortus;
Sed qua ſol verno fundit ab axe diem.
Illic planicies tractus diffundit apertos:
Nec tumulus creſcit; nec cava vallis hiat.

Sed noſtros montes, quorum juga celſa putantur,
Per bis ſex ulnas eminet ille locus.
Hic Solis nemus eſt: ſtat conſitus arbore multa
Lucus perpetuæ frondis honore virens.
Cum Phaethontæis flagraſſet ab ignibus axis,
Ille locus flammis inviolatus erat.
Et cum diluvium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperavit aquas.
Non huc exangues morbi, non ægra ſenectus,
Nec mors crudelis, nec metus aſper adit;
Nec ſcelus infandum, nec opum veſana cupido,
Aut Mars, aut ardens cædis amore furor.
Luctus acerbus abeſt, & egeſtas obſita pannis,
Et curæ inſomnes, & violenta fames.
Non ibi tempeſtas, nec vis furit horrida venti;
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Nulla ſuper campos tendit ſua vellera nubes;
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.
Sed fons in medio eſt, quem vivum nomine dicunt,
Perſpicuus, lenis, dulcibus uber aquis.
Qui ſemel erumpens per ſingula tempora menſum,
Duodecies undis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero ſtipite ſurgens,
Non lapſura ſolo mitia poma gerit.
Hoc nemus, hos lucos avis incolit unica Phœnix:
Unica, ſed vivit morte refecta ſua.
Paret, & obſequitur Phœbo memoranda ſatelles:
Hoc natura parens munus habere dedit.
Lutea cum primum ſurgens aurora rubeſcit,
Cum primum roſea ſidera luce fugat:
Ter quater illa pias immergit corpus in undas;
Ter, quater e vivo gurgite libat aquam.
Tollitur, ac ſummo conſedit in arboris altæ
Vertice, quæ totum deſpicit una nemus:
Et converſa novos Phœbi naſcentis ad ortus;
Expectat radios, & jubar exoriens.

Atque ubi ſol pepulit fulgentis limina portæ,
Et primi emicuit luminis aura levis;
Incipit illa ſacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce movere novam:
Quam nec Ædoniæ voces, nec tibia poſſit
Muſica Cyrræis aſſimilare modis.
Sed neque olor moriens imitari poſſe putatur,
Nec Cyllenææ fila canora lyræ.
Poſtquam Phœbus equos in aperta refudit Olympi,
Atque orbem totum protulit usque means;
Illa ter alarum repetito verbere plaudit
Non errabilibus nocte dieque ſonis.
Atque eadem celeres etiam diſcriminat horas;
Igniferumque caput ter venerata, ſilet:
Antiſtes nemorum, & luci veneranda ſacerdos,
Et ſola arcanis conſcia, Phœbe, tuis;
Quæ poſtquam vitæ jam mille peregerit annos,
Ac ſe reddiderint tempora longa gravem;
Ut reparet lapſum fatis urgentibus ævum,
Aſſueti nemoris dulce cubile fugit.
Cumque renaſcendi ſtudio loca ſancta reliquit;
Tunc petit hunc orbem, mors ubi regna tenet.
Dirigit in Syriam celeres longæva volatus;
Phœnicis nomen cui dedit ipſa venus;
Secretosque petit deſerta per avia lucos,
Hic ubi per ſaltus ſilva remota latet.
Tum legit aerio ſublimem vertice palmam,
Quæ gratum Phœnix ex ave nomen habet;
Et qua nulla nocens animans perrumpere poſſit,
Lubricus aut ſerpens, aut avis ulla rapax.
Tum ventos claudit pendentibus Æolus antris,
Ne violent flabris aera purpureum;
Neu concreta Noto nubes per inania cœli
Summoveat radios ſolis, & obſit avi.
Conſtruit inde ſibi ſeu nidum, ſive ſepulchrum;
Nam perit, ut vivat: ſe tamen ipſa creat.

Col-

Colligit hinc ſuccos & odores, divite ſilva
  Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs;
Quos aut Pygmeæ gentes, aut India carpit,
  Aut molli generat terra Sabæa ſinu.
Cinnama de hinc, auramque procul ſpirantis amomi
  Congerit, & miſto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
  Nec thuris lachrymæ, guttaque pinguis abeſt.
His addit teneras nardi pubentis ariſtas,
  Et ſociat myrrhæ paſcua grata nimis.
Protinus in ſtrato corpus mutabile nido,
  In talique thoro membra quiete locat.
Ore dehinc ſuccos membris circumque ſupraque
  Injicit, exequiis immoritura ſuis.
Tunc inter varios animam commendat odores;
  Depoſiti tanti nec timet illa fidem.
Interea corpus genitali morte peremptum
  Æſtuat, & flammam parturit ipſe calor;
Æthereoque procul de lumine concipit ignem:
  Flagrat, & ambuſtum ſolvitur in cinerem.
Quos velut in maſſam cineres in morte coactos
  Conflat; & effectum ſeminis inſtar habet.
Hinc animal primum ſine membris fertur oriri:
  Sed fertur vermi lacteus eſſe color.
Crevit in immenſum ſubito cum tempore certo,
  Seque ovi teretis colligit in ſpeciem:
Inde reformatur, qualis fuit ante figura;
  Et Phœnix ruptis pullulat exuviis.
Ac velut agreſtes, cum filo ad ſaxa tenentur,
  Mutare tineæ papilione ſolent.
Non illi cibus eſt noſtro conceſſus in orbe;
  Nec cuiquam implumem paſcere cura ſubeſt.
Ambroſios libat cœleſti nectare rores,
  Stellifero tenues qui cecidere polo.
Hos legit; his alitur mediis in odoribus ales,

Donec

Donec maturam perferat effigiem.
Aſt ubi primæva cœpit florere juventa,
Evolat ad patrias jam reditura domos.
Ante tamen, proprio quicquid de corpore reſtat,
Oſſaque, vel cineres, exuviasque ſuas;
Unguine balſameo, myrrhaque, & thure ſoluto
Condit, & in formam conglobat ore pio.
Quam pedibus geſtans contendit ſolis ad ortus,
Inque ara reſidens, ponit in æde ſacra.
Mirandum ſeſe præſtat præbetque videnti;
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.
Principio color eſt, qualis ſub cortice lævi,
Mitia quem croceum punica grana legunt.
Qualis ineſt foliis, quæ fert agreſte papaver,
Cum pandit veſtes Flora rubente polo.
Hoc humeri pectusque decens velamine fulgent;
Hoc caput, hoc cervix, ſummaque terga nitent.
Caudaque porrigitur fulvo diſtincta metallo,
In cujus maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter pennas inſigne eſt deſuper, Iris
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.
Albicat inſignis miſto viridante ſmaragdo;
Et puro cornu gemmea cuſpis hiat.
Ingentes oculos credas geminos hyacintos;
Quorum de medio lucida flamma micat.
Æquatur toto capiti radiata corona,
Phœbei referens verticis alta decus.
Crura tegunt ſquamæ flavo diſtincta metallo:
Aſt ungues roſeus pingit honore color.
Effigies inter Pavonis miſta figuram
Cernitur, & pictam Phaſidis inter avem.
Magniciem, terris Arabum quæ gignitur ales,
Vix æquare poteſt, ſeu fera, ſeu ſit avis.
Non tamen eſt tarda, ut volucres, quæ corpore magno
Inceſſus pigros, pergrave pondus habent:

Sed levis & velox, regali plena decore.
Talis in aſpectu ſe exhibet usque hominum.
Huc venit Ægyptus tanti ad miracula viſus;
Et raram volucrem turba ſalutat ovans.
Protinus exſculpunt ſacrato in marmore formam;
Et ſignant titulo remque, diemque novo.
Contrahit in cœtum ſeſe genus omne volantum;
Nec prædæ memor eſt ulla, nec ulla metus.
Alituum ſtipata choro volat illa per altum;
Turbaque proſequitur munere læta pio.
Sed poſtquam puri pervenit ad ætheris auras;
Mox redit iſta: ſuis conditur ille locis.
At fortunatæ ſortis filique volucrem,
Cui de ſe naſci præſtitit ipſe Deus!
Fœmina ſit, vel mas, ſeu neutrum, ſeu ſit utrumque,
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus eſt; ſola eſt in morte voluptas:
Ut poſſit naſci, hæc appetit ante mori.
Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa quidem, ſed non eadem, quæ eſt ipſa, nec ipſa eſt,
Æternam vitam mortis adepta bono.

# VENANTII HONORII CLEMENTIANI FORTUNATI,

## PRESBYTERI ITALICI, AD FELICEM EPISCOPUM, DE PASCHA.

Tempora florigero rutilant diſtincta ſereno;
Et majore poli lumine porta patet.
Altius ignivomum ſolem cœli orbita ducit,
Qui vagus Oceanas exit, & intrat aquas.

Armatus radiis elementa liquentia luſtrans,
Hac in nocte brevi tendit in orbe diem.
Splendida ſyncero producunt æthera vultu;
Lætitiamque ſuam ſydera clara probant.
Terra ferax vario fundit munuſcula cultu,
Cum bene vernarit; reddit & annus opes.
Mollia purpureum pingunt violaria campum:
Prata virent herbis, & micat herba comis.
Paulatim ſubeunt ſtellantia lumina florum:
Floribus arrident gramina cuncta ſuis.
Semine depoſito, late ſeges exilit arvis,
Spondens agricolæ vincere poſſe famem.
Caudice deſerto, lachrymat ſua gaudia palmes:
Unde merum tribuat, dat modo vitis aquam.
Cortice de matris tenera lanugine ſurgens
Præparat ad partum turgida gemma ſinum;
Subque hyemis tempus foliorum crine refuſo,
Jam reparat viridans frondea tecta nemus.
Miſta ſalix, abies, corylus, ſiler, ulmus, acer, nux,
Plaudit quæque ſuis arbor amœna comis.
Conſtructura favos apis hinc alvearia linquens,
Floribus inſtrepitans polite mella rapit.
Ad cantus revocatur avis, quæ carmine clauſo,
Pigrior hyberno frigore muta fuit.
Hinc Philomela ſuis attemperat organa cannis;
Fitque repercuſſo dulcior aura melo.
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum domino dona rediſſe ſuo.
Namque triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto
Undique fronde nemus gramina flore favent.
Legibus inferni oppreſſi, ſuper aſtra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat;
Dantque creatori cuncta creata precem.
Salve, feſta dies, toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.

Mobi-

Mobilitas anni, menſum, lux alma dierum,
  Horarum ſplendor, ſtridula cuncta favent.
Hinc tibi ſylva comis, hinc plaudit campus ariſtis,
  Hinc grates tacito palmite vitis agit.
Hinc tibi nunc avium reſonant virgulta ſuſurro;
  Has inter nimio paſſer amore canit.
Chriſte ſalus rerum, bone conditor, atque redemptor,
  Unica progenies ex deitate patris,
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
  Verbum ſubſiſtens, & patris ore potens,
Æqualis, concors, ſocius, cum patre coævus,
  Quo ſumpſit mundus principe principium;
Æthera ſuſpendis, ſola congeris, æquora fundis;
  Quæque locis habitant, quæ moderata vigent.
Qui genus humanum cernens merſum eſſe profundo,
  Ut hominem eriperes, es quoque factus homo.
Nec noſtro tantum voluiſti e corpore naſci,
  Sed caro, quæ naſci pertulit, atque mori.
Funeris exequias patris novus author, & orbis,
  Intra mortis iter dando ſalutis opem.
Triſtia ceſſarunt infernæ vincula legis;
  Expavitque chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Chriſti fulgore fugatæ:
  Æternæ noctis pallia craſſa cadunt.
Sollicitam ſed redde fidem, precor, alma poteſtas.
  Tertia lux rediit: ſurge, ſepulte meus.
